POESIS HEBRAICA PUBLICAE DISPUTATIONI SUBMISSA A P.F. CASIMIRO...

Cosmas Schmalfuss, Casimir Mezger

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 M C
8

T.T
IV. 19

Digitized by Google

1

POESIS HEBRAICA

PUBLICÆ DISPUTATIONI SUBMISSA

A P. F. CASIMIRO MEZGER

ORDINIS EREMIT. S. P. AUGUSTINI

Provinciæ Tyrolo - Salisburgenſis Linguarum Orientalium Candidato

IN ALMA CÆSAREO - REGIA LEOPOLDINA UNIVERSITATE ŒNIPONTINA

Menſe Majo 1765.

EDITIO SECUNDA

Emendata, & notis aucta.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ROMÆ MDCCLXXIV.

EX TYPOGRAPHIA MARCI PALEARINI

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

C. 11. C. ?

Contra ignota ſigna propria, magnum remedium eſt linguarum cognitio. Et latinæ quidem linguæ homines, quos nunc inſtruendos ſuſcepimus, duabus aliis ad ſcripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebræa ſcilicet, & græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit latinorum Interpretum infinita veritas.

S. P. Aug. l. 2. de Doct. Chr. c. II.

Quibus numeris conſtent verſus Davidis, non ſcripſi; quia neſcio. Certis tamen conſtare numeris, credo illis, qui eam linguam probe callent.

Idem S. P. Epiſt. 171. ad Mumerium.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO
FRANCISCO XAV. VAZQUEZ
Totius Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini
PRIORI GENERALI

B. PALATINA ... VITTORIO EMANUELE

F. Coſmas Schmalfus utriuſque Germaniæ, & Poloniæ Aſſiſtens ejuſdem Ordinis, veram felicitatem.

Liber, quem tuo, PATER REVERENDISSIME, inſcribo nomini, mole quidem parvus eſt, at eruditione, non triviali, refertus. In hoc de Poëſi Hebræa, illiuſque metro diſſeritur, quod thema tanto magis novelli authoris commendat ſtudium, quanto majoribus difficultatibus ab eruditiſſimis Philologiæ Sacræ ſtudioſis noſcitur eſſe circumſcriptum.

Non me latet erudito calamo de hoc themate non multis ab hinc annis Clariſſi-

Digitized by Google

mos Viros Franciſcum Harè & Robertum Lovvth inter Anglos, ac noviſsime inter Italos Xaverium Matthæum, & Paſſerum ſcripſiſſe; non tamen inutilem operam me collocaturum exiſtimo, ſi Anglis Italiſque ſociatus Teuto, ſecundis typis, iiſque Romanis, in lucem prodiverit.

Abſit, ut hunc cum illis in comparationem adducere præſumam. Horum enim Opera e magiſtrali, & complurium annorum exercitationibus probe ſubacta fluxerunt penna; hoc heſternæ diei in linguis orientalibus Tyronem ſapit, qui in Academia OEnipontana, novem ab hinc annis, primum ſuis ipſius, ſecundum ſanctiones Cæſareo-Regias, experimentum fecit.

Deſideretur, per me licet, in hoc Hebraicæ Poëſis ſpecimine, profuſa illa & ampla eruditio, quæ tercentum quinquaginta & unam Lovvthianæ Poëſis paginam non minus utiliter, ac jucunde implet; at in illo neque ardens proficiendi ſtudium, ne-

Digitized by Google

neque conveniens ætati eruditio, neque claritas & ordo deſiderabitur.

Videbis imo, PATER REVERENDISSIME, quiddam aliud in hoc ſpecimine, Tibi nec ingratum, nec injucundum; nempe: promptam, qua Religioſi Filii tui juſſa Poteſtatum exequuntur, voluntatem, juſtam, qua bene inchoata ad perfectionem deducere ſatagunt, ſedulitatem, & ingens ſtudium, quo tuæ voluntati deferre geſtiunt, quæ alia non eſt, quam major majorque profectus in ſacratiori literatura, & virtute.

Non me latuit hæc voluntas tua, imo inter quotidiana zeli tui documenta me latere non potuit. Non me latuit, providum Superiorem ita animo comparatum eſſe, ut tanto majori ſolicitudine agitetur, quanto remotiori loco illi conſiſtunt, quos providentia & vigilantia ſua circumſcribit. Non me latuit illam eruditionem caſui facilius obnoxiam credi, & eſſe, quæ ad paucos ſe extendit, in paucis deſideratur, quotidianum popularem applauſum non

captat, ac raro occaſionem invenit, qua in forum educatur.

Atqui hæ ipſæ rationes me ad inſcribendam tuo Nomini alteram hanc Hebraicæ Poëſis editionem impulerunt. Ex hac enim, veluti vivo teſtimonio, Tibi innoteſcet, linguarum orientalium ſtudium Germaniæ Auſtriacæ Auguſtianis cordi eſſe, omni diligentia excoli, e proſa, quæ omnibus Theologiæ Auditoribus communis eſt, ad metrum uſque ab aliquibus extendi.

Præſens eapropter animi mei propoſitum, Pater Reverendissime, pro tua in me benignitate, ut gratum acceptumque habeas, iterum iterumque precor; & ſi donum affectus magnitudine minus ſit, faxit tamen Deus, ut fructus correſpondeant magnitudini ſolicitudinis tuæ; ita enim futurum polliceor, ut quæ Te Authore plantata, Te Promotore irrigata fuerunt, ad juſtam maturitatem perveniant, Filiique tui non ſolum מחיל אל חיל, ſed etiam מדעת אל־דעת conſtanti pede gradiantur.

FR.

Digitized by Google

FR. FRANCISCUS XAVERIUS VAZQUEZ PERUANUS

Sacræ Theologiæ Magiſter totius Ordinis FF. Erem. S. P. N. Auguſtini

PRIOR GENERALIS.

CUM Libellum, cui titulus: *Poeſis hebraica &c.* Theologus Ordinis noſtri, hebraicæ linguæ peritus, a Nobis deputatus recognoverit, & in lucem novis Typis edi poſſe probaverit; tenore præſentium, noſtrique muneris auctoritate Admodum Reverendo Patri Magiſtro Fratri Coſmæ Schmalfus utriuſque Germaniæ Aſſiſtenti facultatem concedimus, ut prædictum libellum Typis mandare poſſit, ſervatis tamen ſervandis juxta decretum Sacroſancti Concilii Tridentini de libris edendis &c.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. P. Auguſtini de Urbe die 16. Octobris 1773.

F. FRANCISCUS XAVERIUS VAZQUEZ
GENERALIS

Noſtri mun. aff. ſigillo.

Mag. F. Jo. Antonius Sartorius
Ord. Secret.

Reg. lib. 21.

Digitized by Google

ADPROBATIO

AUreum Opuſculum Auguſtæ Vindelicorum nuper editum, cui titulus: *Poeſis Hebraica publicæ diſputationi ſubmiſſa a P. F. Caſimiro Mezger Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini Provinciæ Tyrolo-Salisburgenſis SS. LL. OO. Candidato in Alma Cæſareo-Regia Leopoldina Univerſitate OEnipontana*: jubente Reverendiſſimo Patre Thoma Auguſtino Ricchinio S.P.A. Magiſtro, ſumma cum animi voluptate ſemel iterumque perlegi; tantumque abeſt, ut in eo perlegendo quidquam invenerim, quod vel præceptis inſtitutiſque Fidei Ortodoxæ, vel rectæ morum diſciplinæ quoquo modo repugnet; quin potius mihi viſum eſt & ſacræ profanæque eruditionis copia refertum, & perutilibus exemplis documentiſque abundare, queis divinæ eloquentiæ cultores magis magiſque inflammentur in ſtudium Hebraicarum litterarum, ad clariorem intelligentiam, facilioremque Sacri Textus interpretationem tantopere accommodatum. Itaque libellum digniſſimum cenſeo, qui typorum noſtrorum ope quam latiſſime ubique gentium, ac præſertim in Italia, evulgetur. Romæ prid. Idus Octobris 1773.

Vincentius Alexander Conſtantius
Librorum Hebraicorum in Biblioth. Vat. Scriptor.

REIMPRIMATUR
Si videbitur Reverendiſſimo P. M. S. P. A.
Franc. M. Cioja Pro-Viceſgerens.

REIMPRIMATUR
Fr. Th. Aug. Ricchinius M. S. P. A. Or. Pr.

PARS

PARS PRIMA

DE NOBILITATE
POESEOS HEBRAICÆ

§. I.

LIBRI DIVINI ELOQUENTISSIMI, PRÆSERTIM POETICI.

ADoratur S. Scriptura, & contemnitur. Adorantur myſteria, & præcepta: ſtylus contemnitur. Tam abjecte ſentiunt multi non ſolum de elocutione, ſed etiam de eloquentia Bibliorum, ut ejus humilitatem irrideant, & aſpernentur ea, quorum permagnam partem ſe non aſſequi, apud ſe ipſos tacite agnoſcunt, & ſuo captu ſublimiora negare non poſſunt. Atqui ſcribendi genus in Divinis his Libris ineſt nobiliſſimum, & quale deceat Im-

Digitized by Google

Imperatores ſapientiſſimos, Moyſen, Joſuam, Samuelem; Reges maximos, Davidem, & Salomonem; Prophetas divina luce ac prudentia plenos, Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem, Nahum; Viros politicos, regiæ artibus inſtructos, ſummorum regum familiaritate claros, Danielem & Eſdram. Neque dignitate tantum & ſublimitate ſanctus hic Codex eminet, ſed ornatu etiam lectiſſimo, & omni eloquentiæ apparatu abundat, adeo quidem, ut cum peritiſſimis Criticis merito affirmari poſſit, omnes in Bibliis facundiæ elegantias contineri, quæcunque in linguas orientales cadunt. Quod ſi hoc de omnibus Divinis Voluminibus certum eſt, uti eſt: multo maxime in libris poeticis valet, qui & ipſo genere ſuperiores, & omnibus dicendi præſidiis illuſtriores ſunt. Fuit hæc ſupremi Numinis providentia, ut, quoniam diverſæ hominum naturæ ac voluntates diverſis capiuntur, hæ quoque poeſeos deliciæ ad ſalutem ac ſanctitatem præſto eſſent, quæ perniciem alibi afferre hominibus, aut ſolam paſcere vanitatem amant. Qui theatralibus gaudent, Cantica Salomonis veluti theatrum adeant: qui epicis, lyriciſque delectantur, Pſalterium & Jobum habent: qui elegiam poſcunt, in Jeremiæ Threnis ſalubrem triſtitiam invenient. Quibus cordi eſt Ecloga, iis omnes

ruris

Digitized by Google

ruris opes Amos propheta offeret. Ne fabulas quidem deeſſe patitur Divinæ Paginæ opulentia, & omnes Epigrammatum ſales Regum ſapientiſſimus in Proverbiis guſtandos apponit.

§. II.

TRIPLEX ELOQUENTIÆ BIBLICÆ NORMA.

EQuidem in hoc primo Poeſeos Hebraicæ veſtibulo repræſentatum mihi videtur ampliſſimum illud, innumeriſque omnis generis theſauris refertiſſimum Mare, ad cujus obtutum cæleſti quadam contemplatione abſorptus fulgentiſſimum inter Doctores ornamentum S. Pater Auguſtinus lib. 12. Conf. cap. 4. in hæc verba erupit: *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis: ſed mira profunditas DEUS meus, mira profunditas, horror eſt intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*. Aſt honor vicit horrorem, amor tremorem. Monitum Chriſti Jo. 5. v. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *ſcrutamini ſcripturas*, palmam tulit, effecitque, ut ad nobiliſſimum hoc pelagus perſcrutandum S. Pater, a prima converſionis ſuæ ætate, ad decrepitam uſque ſenectutem, relictum a cæteris occupationibus debitis, & S. officii functionibus tempus

pus liberaliter inſumeret. Præclarum ſane, exemplum eſt omnibus illis, qui divinis hujuſmodi theſauris non ſolum ditari non deſiderant, ſed ob vilem, quæ apparet, ſpeciem, ſeu rudem, ut blaterant, & inelegantem ſermonem penitus faſtidiunt. Contra quos haud immerito invectus in Prolegom. Script. diſſert. IV. c. 1. Joannes Hamelæus teſtatur: *vetus illa, & rancida non impiorum modo, ſed complurium, qui ingenioſi videri volunt, querela ... rudem eſſe, & inelegantem Scripturæ ſermonem*. Iniquum hoc præjudicium ut frangatur, ablegemus oportet hos nefarios, injurioſoſque ad lectionem extremi libri de Doctrina Chriſtiana, cap. 6. ubi Magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus contra eos ſic loquitur: *Quæſtio hæc apud me ipſum, & apud eos, qui mecum, quod dico, ſentiunt, facillime ſolvitur; nam ubi eos intelligo, non ſolum nihil ſapientius, verum etiam nihil eloquentius videri poteſt, & audeo dicere, omnes qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere, eos non aliter loqui debuiſſe*. His S. Patris verbis quid clarius, quid efficacius eſſe poſſit, non video. Innumerorum nihilominus auctoritate & rationum pondere declarare, ac eis oſtendere valemus, quam injuſte, & quam debilibus armis ceu Xerxis catenis divinum hoc mare fruſtra laceſſere, & debellare conentur. Locuturus de la-

Digitized by Google

latentibus ſub divino Codice pretioſiſſimis theſauris, vel ejus nobilitate & præſtantia, præcipue ago de S. Librorum ſermone ligato, quo eloquentia humana potiſſimum hodierna adhuc die gloriari ſolet, quo rite pertractato nobilitas Poeſis Hebraicæ ſponte ſua apparebit, & facile etiam judicium de cæteris S. Eloquiorum libris formandum erit. Non pugnabo hic auctoritate, non cum Gregorio Nazianzeno orat. 9. Davidem *ſumme grandiloquum* nominabo, non Eſaiam, cæteroſque debitis Patrum, aliorumque Auctorum elogiis cumulatos producam; ſed rationibus ac rebus ipſis pugnabo, & hanc Poeſeos Hebraicæ cauſam ad normam triplicem exigam, ad quam univerſa revocari videtur poſſe. Primum enim de ſtyli ratione diſſeram: deinde locos aliquot inſignes proferam: poſtremo prophetas, poetaſque noſtros cum Græcis, Romaniſque comparabo. Styli decora laudem, loci illuſtres ſplendorem, victoria de tam inſignibus æmulis palmam Divinæ Paginæ conciliabunt.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

ORNAMENTA STYLI IN POESI HEBRAICA, ET CUR IN VULGATA MINUS APPAREANT.

OCcupanda vero mihi eſt in ipſo limine illorum opinio, qui de Hebraicis elegantiis judicare ſe poſſe ex latina interpretatione putant: in quo a veritate longiſſime abſunt. Quod enim pleriſque libris in alienam linguam translatis contingit, ut archetypi venuſtatem in multis non aſſequantur: id in Canonicis Vol. eo magis contingere neceſſe fuit, quo longius ab orientalium ſtylo conſuetudo latini ſermonis diſſidet, quodque reverentiæ dederunt interpretes, ne in phraſi & nexu longius a fonte diſcederent, etſi obſcuriorem hoc modo fieri orationem non ignorarent. *Satiabor*, inquit Vulgata Pſ. 19. v. ult. *cum apparuerit gloria tua*. Plenus quidem ſucco & medulla ſenſus, ſed hebraico longe inferior: בהקיץ תמונתך q. d. ſe aliquando ad ſimilitudinem DEI experrectum iri. Qui ſenſus eſt adeo ſublimis, ut jam in lege veteri myſterium illud altiſſimum prænunciet, quod 1. Joann. 3. v. 2. conſignatum eſt: *οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα· ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι. Scimus*,

mus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Quam ſublime hoc de nobis, tam grande illud de DEO eſt: הוא צוה ונבראו. *Ipſe mandavit, & creata ſunt.* Pſ. 148. v. 5. Simillima vox illi Moſaicæ in veſtibulo Geneſeos: *Dixitque DEUS, fiat lux: & facta eſt lux.* Geneſ. cap. 1. verſ. 3.

ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור.

Quod merito inter prima ſui ὕψους exempla poſitum eſt a Dionyſio Longino, veri DEI ignaro, ſed critico præſtantiſſimo *de ſublimi dicendi genere*, cui mirum eſt refragari potuiſſe Danielem Huetium, & noſtra quoque ætate nonnullos aſſeclas in ſuas partes trahere. Quis Latinorum tanta felicitate de Æthiopia illam celeritatem exprimet, quanta David in hebraico cecinit Pſal. juxta ordinem Hebræorum 68. v. 32. juxta Vulgatam 67.

כוש תריץ ידיו לאלהים

ideſt: *Æthiopia celeriter exhibebit, celeriter protendet, faciet currere prompte offerens munera manuum ſuarum Deo.* Noſtrum vero *Æthiopia præveniet manus ejus DEO*, tam obſcurum eſt, ut ſine commentario etiam ab ingenioſo homine non intelligatur. Metaphoræ Theographorum plurimæ in eo latent, quas latinus interpres non eruit. Pſ. 7. v. 11. מגני על אלהים

ſim-

ſimpliciter verſum eſt, *adjutorium meum a Domino*, omiſſo clypeo. Et fere מגן militarem ſuam Metaphoram apud nos amittit. Sic & illæ tranſlationes e militia ſumptæ:

הנה מלאך יהוה סביב ליראיו

ecce Angelus Domini caſtrametatur circa timentes eum:

בך ארץ גדוד ובשם אלהנו נדגל

in te occurram turmæ (hoſtium) & in nomine Dei noſtri vexillum erigemus.

Hæ inquam tranſlationes, apud nos exarmatæ ſunt, dictumque tantum: Pſal. 34. v. 8. Edit. Heb. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Pſ. 38. v. 7. *In te eripiar a tentatione*. Pſ. 18. v. 30. *In nomine DEI noſtri magnificabimur* (*). Pſ. 19. 6. Nos Pſ. 20. v. 10. habemus, *conturbabit eos*; Hebræi יבלעם *abſorbebit eos*. Nos Pſ. 39. v. 6. *Menſurabiles poſuiſti dies meos*; Hebræi טפחות *palmos* ſeu palmares (**), unius palmi menſuram non excedentes, menſuræ breviſſimæ dies: quem locum recentiſſimus aſceta inſigni falſitate ſic exponit: Judex Divinus accurate, & ad arithmeticæ calculos dinumerabit vitæ noſtræ dies, & rationem ſingulorum repoſcet. Nos Pſ. 31. v. 18. *deducantur in infernum*; Hebræi, *conticeſcent in ſe-*

(*) Interpres legiſſe videtur. נגדל loco נדגל

(**) Hinc Symmachus: ὡς σπιθαμάς.

ſepulcro ירמו לשאול Nos Pſ. 33. v. 11. legimus *divites*; Hebræi, כפירים leones, nimirum po. tentiſſimos prædatores. Viciſſim in linguis primævis aliquando clarius ponitur vocabulum proprium, ubi Vulgata tranſlationem uſurpat. Exemplo ſit Pſ. 31 v. 16. *In manibus tuis ſortes meæ*: ubi in hebraicis עתתי, & chaldaicis, arabicis, & æthiopicis, pro ſortibus leguntur *tempora*.

Sæpiſſime etiam ambiguitas impedit, ne latinus lector verum ſtyli poetici guſtum percipiat, imo ne locum ipſum intelligat. Quis Latinorum divinaverit, per verbum mentiri כחש Pſ. 17. v. 46. ſignificari ſervitutem? quia nimirum ſervi, vel ut placeant heris, vel ut ſe excuſent, mentiri ſolent. Pſalmo tamen 81 v. 16. probabilius eſt accipi debere ſenſu proprio: *Inimici Domini mentiti ſunt ei*, משנאי יהוה יכחשו לו (*). Ex ſola latinitate dignoſci nequit, an activo ſenſu, an paſſivo dictum ſit, *vincas, cum judicaris.* Pſ. 50. v. 6. neque Pſ. 59. v. 12., an in verbis, *nequando obliviſcantur populi mei* pronomen perſonale ſit, an poſſeſſivum; ſeu an ſui oblivionem, an legis ac juſtitiæ Divinæ David recuſet; neque Pſ. 42. v. 2. quænam exemplaria ſint ſequenda, illane, quæ habent *DEUM fortem vivum*, an quæ *DEUM*

B fon-

(*) *Ad litteram: Oſores Dei.*

Digitized by Google

fontem vivum, præſertim cum cervus præcedat, fontes aquarum deſiderans; neque deſint interpretes, fabellam pro hiſtoria narrantes, cervum devorato ſerpente mirifice ſitire. Plerique conjungunt verba illa ex Epithalamio *ſpecie tua & pulcritudine tua intende, proſpere procede, & regna*, & ſpeciem ac pulcritudinem ſponſi intelligunt, cum tamen ſit gladii: quod ex hebraïco liquet. Ex eodem Epithalamio Theologi quidam Chriſti divinitatem confirmare nituntur, quod dicatur: *unxit te, DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: ſic enim diſtinguunt, primum DEUS vocativo caſu accipientes. Atqui nominativus eſt, tum in hebraico, quia ſine ה hic neceſſario; tum apud LXX, ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου. Illud etiam Eſajæ 38. v. 10. Aſcetam noſtræ ætatis, virum alioquin doctiſſimum, ſed linguarum expertem fefellit, *vadam ad portas inferi*, quod de meditatione æternorum apud inferos ſuppliciorum exponit. Atqui Rex piiſſimus Ezechias ſuum בשערי שאול non de pœnis æternis, ſed de ſepulcro effatus eſt, in quod a lethali morbo propediem inferendus erat, niſi divina bonitas ſingulari auxilio interceſſiſſet. Plures alii errant, cum verba Pſalmi 15. v. 4. *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*, ſenſu litterali ad res adverſas trahunt, per quas hu-

Digitized by Google

humanus animus ad DEI cultum, majoremque profectum compellitur. Verus ſenſus in תרגום Chaldaico proditur: *Multiplicant idola ſua*, per quod ſenſus hebraici עצבותם clare determinatur. Neque tunc plenum ſacri textus vigorem perſpicere e latinitate poſſumus, cum in ea, quod ſæpe fit, hebraicum *Piel* diſſimulatur. *Præcipita Domine*, Pſ. 54. v. 10. in hebraico eſt בַּלַּע i. e. non quomodocunque abſorbere, ſed alte ſubmergere, & uſque in profundum mare; de mari enim locum hunc loqui, oſtendit græcum καταπόντισον LXX. Interpretum. Ob idem Dageſch Pielicum veroſimilius eſt, contra, quam plerique Hebraizantium exiſtiment, verbum דִּבֵּר habere ſemper ſenſum intenſum: cum enim דָּבַר in Kal. ſimpliciter *loqui* ſignificet, par eſt in Piel incrementum accedere ſenſui: firmiter aſſeveravit, ſancte promiſit, ſevere præcepit. Addamus illud ex Annæ Cantico, quam multa quam paucis complectens! *DEUS ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes*. I. Reg. 2. v. 3. ubi neque de humanis ſcientiis ſermo eſt in priori commate, neque in poſteriori de conſiliis hominum, ſed de divinis. Patefaciunt hunc ſenſum non modo LXX., ſed etiam Chaldæus; quorum illi ajunt: *DEUS præparans conſilia ſua*, Chaldæus vero: *DEUS ſuper omne factum ſuum*

 ex-

extendens judicium. Longiſſime autem a veritate abeunt, qui ſenſu negativo ſic interpretantur: *Non perficiuntur cogitationes hominum*, videlicet abnuente DEO. Grandibus hujuſmodi ſententiis, & orationis luminibus plena ſunt Scripturarum volumina, pleni Prophetæ, plenus Jobi & Pſalmorum liber, plena Salomonis Proverbia; imo & illi Salomonis Pſalmi, quos non hebraicos, ſed græcos e tenebris in lucem protulit Andreas Schottus, & Joannes Ludovicus de la Cerda cum ſuis Adverſariis ſacris, & Commentario in Tertulliani librum de pallio, Edit. Lugd. 1626. juris publici fecit. Illorum pariter meminit Joannes Euſebius Nierembergius de Origine S. Scripturæ l. 9. c. 37. & 39., ubi bonam eorum partem græce ac latine recitat. Verum hi Pſalmi Salomonis nomine inſcripti, deficientibus argumentis ſolidis, inter apocryphos collocandi ſunt.

§. IV.

LOCI INSIGNES POETICI, AC PRIMUM E PSALTERIO.

SED jam a ſententiis ſingulis ad locos aliquot longiores veniamus, non quaſi hi ſoli ſint, ſed quia omnes afferri non poſſunt. Mox ipſos Poe-

Poetarum principes Homerum, & Virgilium appello, an quid ſublimius de fabuloſis Deorum ſuorum imaginibus unquam fingere potuerint, quod Pſaltes Regius non illuſtrius, ac verius de ſumma DEI Majeſtate locutus eſt Pſal. 29. ſecundum ordinem Hebræum, fulmina vocem ejus nominans.

קול יהוה על המים אל הכבוד הרעים

Vox Domini ſuper aquas, Deus Majeſtatis intonuit.

קול יהוה שבר ארזים וישבר יהוה את ארזי הלבנון

Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.

קול יהוה יחולל אילות

Vox Domini præparantis cervos (cervas ad partum adigentis) *& revelabit condenſa*, id eſt: DEUS eſt, qui potentiam ſuam oſtendit ad excitandum in hominum animis non magis timorem, quam amorem; vox Domini vi fulminum diſperſis denſiſſimis arboribus ſylvarum intima patefacit, cujus Majeſtas in diluvio habitat ſeu apparet. Tranſeo a Pſalmo hebraice 29. ad Pſalmum hebr. 18. & propono ſublimem illam, & admirabilem hypotypoſin, ubi DEUS a Davide in auxilium vocatus, illud contra hoſtes fideliſſime præſtitit.

Integram in carmen latinum tranſtulit Poeta non ignobilis, & ſuo ſæculo laudatiſſimus, Georgius Buchananus in Paraphraſi Poetica Pſalmorum Edit. Antvverp. 1565.

Protinus a vultu Domini conterrita tellus
Intremuit, monteſque cava compage ſoluta
Nutarunt, penituſque imis fremuere cavernis.
Fumeus afflatu de naribus æſtus anhelo
Undabat. Rapidæ contorto vortice flammæ
Ore fluunt, vivaque animant attacta favilla.
Utque ſuum Dominum terræ demittat in orbem,
Leniter inclinat juſſum faſtigia cœlum:
Succedunt pedibus fuſcæ caliginis umbræ.
Ille vehens curru volucri, cui flammeus ales
Lora tenens, levibus ventorum adremigat alis,
Se circum furvo nebularum involvit amictu,
Prætenditque cavis piceas in nubibus undas.
Acribus ex oculis vibratæ ſpicula flammæ
Diſcutiunt triſtes claro fulgore tenebras.
Inde ruit crepitans lapidoſæ grandinis imber,
Diſcurſantque vagæ ſinuoſa volumina flammæ.

At vero ut ſancto ſermone ſilentia rupit,
Protinus horrifico tonitru cœlum omne remugit,
Grandinis & crebra tellus crepitante procella
Pulſa ſonat, ruptiſque micant e nubibus ignes:
Flammiferæq; volant magnum per inane ſagittæ,

Ful-

Digitized by Google

Fulguraq; ingeminant: laticum concuſſa lacunas
Pandit hians tellus, & fontibus ora relaxat;
Succutiturque pavens, & fundamenta revelat,
Et reſerat chaos; æterni ſic vox tonat oris,
Sic formidandæ grave ſpiritus infremit iræ.

Ille ſalutiferam porrexit ab æthere dextram,
Et me de rapidis pereuntem ſuſtulit undis.
Hoſtibus eripuit validis, & acerba potentum
In me odia eluſit: cum me ſtudioſa nocendi
Temporibus duris cœca fraus arte petebat,
Auxilium tulit, & rebus patefecit in arctis
Latum iter, electumq; a morte reduxit amicum.

§. V.

SENECTUS EX ECCLESIASTE. EQUUS EX JOBO; ALIAQUE CANTICA.

Lubet huic conjungere aliam ex c. 12. v. 1. Eccleſiaſtæ, ubi *Senium* artificioſis coloribus adumbratum eſt.

וזכר את בוראיך בימי בחרותיך

Memento Creatoris tui in die juventutis tuæ, antequam tenebreſcat ſol & lumen, & luna, & ſtellæ, & revertantur nubes poſt pluviam, i. e. caligantes oculi lumen percipere non poterunt, diſtillationes alias aliis ſequentibus. *Sol & lumen*

Digitized by Google

Hendiadys eſt, figura hebraica: qualis & Geneſ. 1. v. 14., & Matth. 24. v. 31. *Quando commovebuntur cuſtodes domus*; manus & brachia trement. *& nutabunt viri fortiſſimi*; vacillabunt pedes. *& otioſæ erunt molentes in minuto numero*; dentes pauci, iique hebetes. *& tenebreſcent videntes per foramina*; oculi aciem amittent. *& claudent oſtia* ſenſuum *in platea*, in facie & circa illam; *in humilitate vocis molentis*, dum vox erit tenuis, & debito adjumento dentium carens. *& conſurgent ad vocem volucris*, ad galli cantum fugiet ſomnus: *& obſurdeſcent omnes filiæ carminis*, aures, quæ carminibus paſci ſolent, officio ægre fungentur: *excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via*, timebunt ardua ſcandere, & in via plana quoque formidabunt: *florebit amygdalus*, caput ambientes cani ſpeciem amygdali præſeferent: *impinguabitur locuſta*, intumeſcet venter, locuſta dictus, eo quod hæc animans tota venter ſit: *& diſſipabitur capparis*, appetentia cibi & voluptatis elangueſcet: *quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes*, amici & funeris aſſeclæ. *antequam rumpatur funiculus argenteus*; antequam ſpina dorſi candida, & ejus medulla candidiſſima, corpus firmare deſinat: *& recurrat vitta aurea*: meninges, ſeu panniculi pretioſiſſimi cerebrum ubique

que circumdantes, eo fatiſcente ac recedente corrugabuntur: *& conteratur hydria*, vaſa ſanguinem vehentia, *ſuper fontem*, jecur; *& confringatur rota ſuper ciſternam*; deficiet caput, quod ſpiritus vitales e cordis ciſterna haurit. *& revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Præclaram hanc effigiem in latinos verſus tranſfudit ad teneræ juventutis inſtitutionem R.P. le Brun, cujus locum adducere operæ pretium eſſe duxi.

In primis venerare DEUM, florente juventa
Dum potes, ante tuam, quam mille incommoda vitam
Obſideant, quam decrepito tibi tarda ſenectus
Adrepat, morbuſque ſequax, & turba malorum
Cætera, queis miſeræ languet pars ultima vitæ:
Ante ſenex oculo quam caligante tueri,
Quam lux deficere aſtrorum, palleſcere Phœbus
Incipiat, vel luna hebeti nigreſcere vultu,
Et rerum obducat ſpecies pronubilus aer.
Quæ tibi tum vires, oculis cum denſior humor
Confluet in nubes, vel reſtagnabit in imbrem
Aſſiduum, & claro pro ſole crepuſcula cernes?
Coſtarum quando ſeries, tutata penates
Pectoris internos, laxa compage dehiſcet:
Cum poſito imperio cor princeps, aulicus hepar
Purpureus, cordiſque duo, ſplen, pulmo, miniſtri
Deficient, pigriſque ruet cuſtodibus aula;

Aut

Aut ubi rareſcent vacuo præſepia dente ;
Nudaque deformi maxilla educet hiatu
Calvæ inſtar rictum ; & captiva foramine nullo
Pupula , vix tenues in ſole videbit aperto
Scintillas ; dentiſque ſono gingiva negato ,
Sanguifico ſenſim defecta calore fatiſcet :
Alitis ad cantum quando jam nocte peracta ,
Nixibus invitis lecto conſtricta tenaci
Membra gemens tolles, citharæ cum flebile carmen
Auris inacceſſa diſrupta audire negabunt
Tympana , cum voces muſſabis ob ore , nec aure
Accipies : quando refugis ad culmina plantis
Aeger anhelabis : primo cum calle viator
Languidus hærebis : tenuem ſi forte ſenili
Repſeris in clivum baculo , tum vertice ſummo
Aut Pindi aut Tauri planta titubante propinquum
Horrebis lapſum : velut albet amygdalus horto
Candida , ſic albo caneſcent fronte capilli .
An flectes ad templa pedes , ad ſidera palmas ,
Cum fugiet pondus minimæ portare locuſtæ
Aegra manus ? cum qui levior ſaliente locuſta
Prata pererrabas , vix internodia læſi
Inflectes femoris ? vix capparis ulla palato ,
Vix gelidis ſapiet prurigo extincta medullis ?
Tum domus æternos habitanda locatur in annos
Vltima , & alternas invertere neſcia ſortes.
Omnibus illa patet venientibus obvia , cuivis
Clauſa regreſſuro foribuſque tenacibus arcet

A re-

Digitized by Google

A reditu populos, immortalique ſerarum
Mole catenatus, duroque in vecte laborat,
Nec frangi metuens æterno adamante rigeſcit.
Inde redux ſuperas nequidquam evadere ad auras,
Deſertoſque focos, notumque reviſere limen
Credideris; nulla eſt lucis poſt fata fruendæ,
Sive relictorum ſpes poſthuma nulla bonorum.
Præſcia tum triſtem lacrymoſis vocibus urbem
Flebilis implebit, ferali & compita leſſo.
Sic tibi deliciis prior hæc ſit cura, colendi
Numinis integritas, & non violabile mentis
Obſequium: prius exhauſtis quam ſpina medullis,
Quæ limbo dorſum, medioſque interſecat artus,
Haud aliter longo, quam corda argentea ductu,
Flectat humo gravidum prono curvamine corpus,
Vel quæ divinum, tanquam aurea theca, cerebrum
Involvit, vinclis pereat membrana ſolutis:
Vel fragilis lapſu, lapidoſo fontis in ore
Hydria fracta ruat, raptaſque ſororibus undis
Reddat aquas, verſoque ſitu mutabilis axis
Lympharum ſolitos rota perfida deneget hauſtus.
Ante etiam, terræ ſibi quam cognata reviſat
Viſcera, vitali matris condendus in alvo
Pulvis, & acceptæ repetens cunabula vitæ
Spiritus, uno auctore DEO cæleſtibus ortus
Seminibus, ſæpe exilium indignatus, olympo
Reddatur patrio, quem ſpe conſcendit inani
Fixus humi, cæcaque inter caligine merſus.

Plus

Digitized by Google

Plus deſideranti apponam hypotypoſin tertiam ex Huſſitarum principe & poeta nobiliſſimo Jobo, cujus artem poeticam doctiſſimus & ampliſſimus Calmetus ſic extollit: *Sane Poeſin hac uberiorem, & elegantiis, varietatibus, atque ornamentis magis refertam apud Veteres invenire non erit*. Deſcriptum ab illo equum tanti fecerunt etiam profani artifices, ut ejus ſatiari laudibus haud poſſe videantur. Trillerus Medicinæ Profeſſor, Poeta germanicus, ſolis argumentis utilibus ubique operam navare ſolitus, verſibus patriis hebraicum prototypon æmulatus eſt. Multo ante illum, multoque felicius id latinis Muſis commiſit Franc. Vavaſſor *in Metaphraſi ſua Poetica* in Jobum ita canens:

Robur equo forti num tu robuſtius addes?
Num magis hinnitu geminato e faucibus altis,
Terribilem facies? num ſubſultare docebis
In numerum, greſſuſque pares glomerare locuſtis?
Gloria vero ingens utraque ab nare pavores
Exſpirare novos. Hujus fodit ungula terram,
Exultatque animis audax, itque obvius hoſti
Armato, temnitque metus, ferroque reſiſtit.
Illum ſupra equitis pharetra inſtrepet & levis haſta
Vibrabit, clypeuſque. Solum fervetque, fremitque
Effodiens, nec ſigna tubæ, curatve receptus.
Quin avida poſtquam aure bibit; vah, reddit acuto

Exſi-

Exſiliens hinnitu, & longe præſcius ante
Occupat adventum belli, ac jam præcipit hoſtem
Naribus, hortatuſq; ducum, fremituſq; ſequentum.

Quanta æſtimatione digna eſt ignea hæc & vivida imago? Generoſus hic equus *fervens & fremens ſorbet terram*

ברעש ורגז יגמא ארץ

terram pede effodiens, ac morſu eruens, *nec reputat tubæ ſonoræ clangorem*

ולא יאמין כי קול שופר

non expaveſcit tubam ad prælium vocantem, nec revocantem ex eo audit. *Ubi audierit buccinam, dicit: Vah!*

בדי שפר יאמר האח

hinnitu cupiditatem, & audaciam prodit. *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, ululatum exercitus:*

ומרחוק יריח מלחמה רעם שרים ותרועה

c. 39. v. 24. &c. Non minor eſt ſublimitas per totum illum librum, non in iis tantum, quæ Jobus loquitur, ſed etiam quæ maligni ejus amici objiciunt: in his tamen amicorum dictis, etſi ſplendida omnia, & multa vera ſunt, nihil de

Digitized by Google

de fide eſt, ne illa quidem Eliphazi ſententia: *Apprehendit ſapientes in aſtutia eorum* Job.5.v.13.

לכד חכמים בערמם

Lauream Davidi, apud Georg. Fabricium *Poetarum omnium* Principi, nemo hominum demet, dum præter aſſignatos affectus, tam perſpicue & diſtincte adumbratos, ſano oculo perluſtrare contenderit luctum ex Saulis & Jonathæ morte conceptum 2. Reg. 1. Mirum ſane, quod Sauli etſi infenſiſſimo hoſti, tantum laudis tribuit; & ejus filium Jonatham, præcipuum dignitatis ac regni æmulum, tam tenero poſt mortem quoque amore complectitur: *frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum*. v. 26. Quod utinam & Europæi Poetæ hujus ſæculi ſæpius perpenderent, qui *ſuper amorem mulierum* nihil neque norunt, neque tractant.

Inter fulgentiſſima Poeſeos divinæ paginæ decora haud vulgarem locum obtinet triumphale illud Canticum Deboræ, per omnia figurarum genera exultantis, & Siſaræ necem melius, quam in ipſa hiſtoria repræſentantis. Cui annectendum erit alterum ejuſdem ſpeciminis, ac fortitudinis plane inauditæ a ſæculis, nempe illud Judithæ Victricis Chaldaice ſcriptum, ex qua lingua Judithæ librum ſe

con.

Digitized by Google

convertiſſe in ſua præfatione S. Hieronymus teſtatur; in quo carmine filii Titanis fabuloſi tam non obſtant characteri, & ſanctitati Judithæ, quam veritatem non lædunt ejuſdem heroidis cum Chaldæis, eorumque duce Holoferne ſermones.

§. VI.

Παραλλήλα Græcorum.

SUperſedendum jam erit, poſtquam tot diverſas & ad vivum expreſſas imagines poeticas ex divino Codice perſpeximus, ut nihil amplius dubitationis de nobilitate & præſtantia ejuſdem Poeſeos relinquatur, ſuperſedendum erit, inquam, ubi tertium addiderimus, & poſt ornamenta ſtyli, locoſque nobiliſſimos, magna Poeſeos nomina, extra S. Scripturam quæſita, in comparationem duxerimus. Libenter hanc quoque conditionem aſſumo, & ſelectiſſimis Poetarum, Græcis, Latiniſque, elegantias noſtrorum poetice illuſtratas oppono.

Græcorum Poetarum Principibus Orpheo, Homero, Pindaro, Oppiano gloriaris; & quidem in primis Oppiano, ſcriptore vere aureo, cui pro ſingulis verſibus ſinguli nummi aurei repenſi leguntur, in Halieuticis L. 5. Balænam his coloribus depingente: v. 210.

....

Digitized by Google

. . . . . . Φαιήσικεν ὑπ' οἴδμασι πασαν αὐτμὴν
Κευθομένην Βορεαο δυσαέος αὐλιξεσθαι ·
Τοσσον αναθμαινει λαβρον μενος . ἀμφι δὲ πυκναι
Διναις οἰδαλεησιν ἑλισσομέναι στροφαλιγγες
Οἴδματα κοιλαινουσι δυσαμένοιο ποροιο .

Diceres ſub fluctibus univerſum flatum
Latentem Boreæ tumultuoſi commorari .
Tanta reſpirat valida vis . Circum vero crebri
Vorticibus tumidis volutati flexus
Fluctus cavant diſſiliente ſemita .

Conrad. Rittershuſius Edit. Lugd. Batav. 1597. Præſtantius eſſe cenſeo, quod Princeps Poeticus Jobus canit de Leviathane ſeu Balæna c.41. v. 11. *de ore ejus lampades procedunt ſicut tadæ ignis accenſæ ,*

מפיו לפידים יהלכו כידודי אש יתמלטו

cum nempe vehementi anhelitu aquam ante ſe impellit , quæ magno impetu ſparſa ſimilis videtur ſternutamento per ipſam humoris colliſionem lucenti . Senſu ergo metaphorico lampades dicuntur . *De naribus ejus procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ & ferventis* , v. 12.

מנחיריו יצא עשן כדוד נפוח ואגמן:

ha-

halitum e naribus, & aquam violenter proflat. v. 13. *halitus ejus prunas ardere facit*.

נפשו גחלים תלהט

quia halitus tam fortis eſt, ut e carbonibus flammam eliciat. v. 21. *quaſi ſtipulam aſtimabit malleum, & ridebit vibrantem haſtam*.

כקש נחשבו תותח וישחק לרעש כידון

ſcilicet: ob ingens robur ſuum. v. 22. *ſub ipſo erunt radii ſolis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum*.

תחתיו חדודי חרש ירפד חרוץ עלי טיט

ſolis radios excuſſa expulſaque in altum aqua obtegit, ut ex obliquo videri nequeant, & aurum, aliaſque merces pretioſiſſimas everſis navibus quaſi lutum in mari diſpergit. v. 23. *ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet, quaſi cum unguenta bulliunt*.

ירתיח כסיר מצולה ים ישים כמרקחה׃

anhelitu nempe & motu ſuo. v. 24. *Poſt eum lucebit ſemita, aſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem*.

אחריו יאיר נתיב יחשב תהום לשיבה׃

percuſſione excitati fluctus ceu iris micant, & incaneſcunt.

Orphei antiquiſſimi carmina oppone, in

 ſuis

Digitized by Google

ſuis Hymnis Phœbum alloquentis, ex quo ipſe Homerus primos ſuæ Iliadis verſus, teſtante S. Juſtino Martyre, & Orphei verſus recitante, furari non ſibi ſcrupulo duxit. Sic ad Phœbum ingenioſus ille in Hymnis Hym. ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ *θυμίαμα μάνναν*. v. 8. & 9.

Δήλι' ἄναξ πανδερκὲς, ἔχων φαεσίμβροτον ὄμμα,
Χρυσοκόμα, καθαρὰς φήμας χρησμοὺς τ' ἀναφαίνων

Appollini ſuffimen manna.
Delie Rex, qui illuſtrem aciem huc partiris & illuc
Auricome integra præcepta atque oracula fatans
Curante Eſchenbachio Typ. *Trajecti* ad Rhenum 1689.

Explicari autem vix poteſt, quanto magnificentius Dàvid de DEO vero Pſ. hebr. 19. v. 5. Vulg 18. v. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam &c.*

לשמש שם־אהל בהם

a ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat a calore ejus. Ex hoc loco, uti ex pluribus aliis, ſufficienter

ter percipere, & adnotare licet, ſæpius in divinis Libris Vulgatæ latere Hypallagen, ſolius ope latinitatis non deprehendendam; linguæ proin primævæ ſubſidio opus erit. Vulgata hic dicit: in ſole poſuit tabernaculum ſuum. fons hebraicus habet: ſoli poſuit tabernaculum ſuum.

Nec multum me ſollicitum reddit, quod tanti æſtimatur in Græcorum Lyricorum Principe Pindaro, Odem octavam Pythiorum ſic ordiente:

Φιλόφρον Ησυχία δικᾶς
Ω μεγιςόπολις
Θυγάτερ. &c.

Quod Nicolaus Sudorius in Edit. Oxonienſi e Theatro Sheldoniano an. 1697. ita vertit:

Blanda mente tranquillitas, juſtitiæ,
O urbes peramplificans
Filia.

Et ad imitationem Horatii Edit. Paris 1582.

Pax, quæ ſola potes œnopiæ manus
Unire, & gladios condere civicos;
Pax legis placidæ filia amabilis,
Cuſtos nobilium pervigil urbium.

Etſi profundæ hæ ſint veritates, tam paucis verbis comprehenſæ, Tranquillitatem eſſe Ju-

 ſti-

ſtitiæ filiam, & per eam fieri urbes potentiſſimas. Longe tamen altius ſe erigit Pſaltes noſter Pſ. ord. Heb. 85. v. 11. *Juſtitia & pax oſculata ſunt.*

צדק ושלם נשקו

v. 12. *Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cœlo proſpexit.*

אמת מארץ תצמח (germinavit) וצדק
משמים נשקף׃

v. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*

גם יהוה יתן הטוב וארצנו תתן יבולה׃

v. 14. *Juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.*

צדק לפניו יהלך וישם לדרך פעמיו׃

Achillem ultimum admoves, græcæ gentis immortale nomen Heroicorum Principem Homerum, maxime ubi poeſi ſua adumbrat Hectorem Iliad. O, L. 15. quem cum marinis fluctibus in bello comparat. v. 618.

. . . . ἠΰτε πέτρη
Ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα·
Ἥ τε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα.
Κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγεται αὐτῇ.

ve-

. . . . *veluti petra*
Excelſa, magna, canum mare prope exiſtens,
Quæ ſuſtinet ſtridulorum ventorum celeres incurſiones.
Undaſque ingentes, quæ eructant in ipſam.

Huic ex adverſo oppono Epinicium Davidis II. Sam. 22. v. 34.

Coæquans pedes meos cervis, & ſuper excelſa ſtatuens me.

משוה רגליו כאילות ועל־במתי יעמידני׃

v. 35. *Docens manus meas ad prælium, & componens quaſi arcum æreum brachia mea.*

מלמד ידי למלחמה ונחת קשת נחושה זרעתי׃

v. 36. *Et dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ.*

ותתן לי מגן ישעך

Hæc paucis mutatis abſque ullo ſenſus diſcrimine habentur Pſ. hebr. 18. Scaliger hoc loco libenter victoriam nobis tribuit præ Homero, qui ſalſe more ſuo in Poetica dicit, nec injuria: *Peſſimo conſilio Græcos comparat ſaxo, qui ſunt multi; Hectorem vero fluctibus, qui eſt unus.* Ut Heroem ſuum adumbret, mari utitur elemento violentiſſimo & inſuperabili: nihilominus Hector ſuccumbit, & a Græcis fugatur. Aliter

 Da-

David, dum ſe comparat cum animali timido & fugaci, attamen DEI ope liber ac victor evadit. DEUS eſt rupes altiſſima, non Græci: *ſuper excelſa mea ſtatuens me*. DEUS Davidi celeritatem tribuit, DEUS manus ejus ad prælium docet, & brachium ei ut arcum æreum corroborat, & clypeum ſalutis porrigit: quæ omnia græco in mentem non venerunt.

§. VII.

Παραλλήλα Romanorum.

HIS pro nobilitate Poeſeos hebraicæ perſpectis, poſt græcos, Poetarum Principes Latinos audiamus, oportet. Ovidius de Diis quanto graviora cecinit, tanto digniora ſunt, quæ de DEO noſtro S. Poeſis Hebraica. Ille L. I. Metamorphoſeos de Jove ait:

Ergo ubi marmoreo Superi ſedere receſſu,
Celſior ipſe loco, ſceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concuſſit terque, quaterque
Cæſariem, cum qua terram, mare, ſidera movit.

Majore pompa & certa veritate Pſaltes David de DEO ſic canit. Pſ. 103. v. 32. hebraice Pſ. 104. v. 32.

Digitized by Google

המביט לארץ ותרעד יגע בהרים ויעשנו׃

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant, nimirum fulmine incenſi. Non eſt opus Davidi cæſarie illa terrifica, quam terque quaterque Jupiter concutiat: unus aſpectus vero DEO ſufficit, ut terra contremiſcat, moveaturque, ac fauces ſuas ad glutiendos impios adaperiat.

Ut ab Jove ad templum Didonis gradum promoveam, illud Heroicorum omnium facile dux Virgilius ad ſummam magnificentiam ita deſcribit l. I. Aeneidos:

Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo ſtridebat ahenis.

Non dicam in Salomonis templo plus auri fuiſſe, quam æris in Virgiliano, illud duntaxat e Pſalmis adduco, Pſal. 48. 10.

דמינו אלהים חסדך בקרב היכלך׃

Suſcepimus, DEUS, miſericordiam tuam in medio templi tui, dignus hic templi character, non metalli opulentia, ſed DEI miſericordia eſt, æs & argentum oculos allicit, & ſæpe magis in profano ſpectaculo fulget; ut miſericordiam ſuſcipiamus, in templum vocamur. Ornatus

 tem-

templum decet, quia ſedes ſummi DEI; & profana tantum vox eſt: *in templo quid facit aurum?* ſed nequaquam auri vel æris prima laus poni a prudenti Poeta debet, omiſſo eo fructu, qui in Dei domicilio præcipuus eſt. Sed nimirum qualis Dea Juno, tale templum Didonis: qualis DEUS noſter, tale in Pſalmo ejus templum.

Idem Princeps ſuperatur a Pſalte in laudato illo, & ab omnibus Criticis vehementer æſtimato loco, ubi Æneid. L. 3. cantat:

Et campos, ubi Troja fuit.

At Pſaltes: *Vidi impium ſuperexaltum, & elevatum ſicut cedros Libani; & tranſivi, & ecce non erat, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.*

ראיתי רשע עריץ ומתערה באורח רענן׃
ויעבר והנה איננו ואבקשהו ולא נמ:א׃

Pſal. hebr. 37. v. 35. & 36. Æneas Virgilianus Trojam requirit, ſed everſam: ejus loco invenit nudum ſolum, *& campos ubi Troja fuit.* Pſaltes impios altius adhuc collocat, quam omnia Trojæ mænia ac turres; *ſicut cedros Libani*; arbores ſemper virentes, nec corruptioni obnoxias. *Tranſivi*; non poſt decem annos; tranſivi, & puncto temporis potens ille, &

ex-

excelſus DEI hoſtis periit: *& ecce non erat.* Apud Virgilium certe locus ſupereſt, ubi Troja fuit; ego autem jam nihil invenio, ne veſtigium quidem; nam, ut Vulgata cum 70. Interpretibus ſupplet, ne locum quidem impii videre eſt.

Ingenioſam diſtinctionem ejuſdem Maronis, ubi Æneid. L.6. extremo duas Somni portas deſcribit, non poſſum non laudare.

Sunt geminæ Somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia Manes.

Ex porta altera verum prodit, ex altera falſum: per *corneam* indicari oculos Mythologi aſſerunt, quibus quod videmus, & præſentes intuemur, compertum, certumque habemus: *eburneam* vero aures eſſe affirmant, quod ea, quæ ſola auditione accepimus, falſitatis periculo ſemper laborent, & plerumque nos ex parte ſaltem decipiant. Verum tum præſtantia ac nobilitate, tum utilitate & morum doctrina longiſſime eminent portæ illæ Pſalterii, Pſal. 9. v. 14. & 15. Edit. Heb.

מרוממי משערי מות׃ למען אספרה כל־תהלתיך
בשערי בת ציון׃

Qui

Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis Filiæ Sion.

Qui eripis me de moriendi periculis, & omnia tua beneficia ad Hieroſolymæ portas (ubi maximi concurſus hominum ob judiciorum celebritatem contingere ſolent) te laudabo, laudabo inquam, o! ut omnes te laudent. Cognoſcunt quidem multi beneficia, ſed ubi laus? quidam illa cognoſcere nolunt, ne te laudare debeant. Latens vero ſub poetico colore ingenium ſic Origenes perſpicaciſſimus in lucem protrahit: Mortis portæ ſunt peccata, quæ ad exitium æternum perducunt: portæ Jeruſalem ſunt virtutes, per quas cælum intramus: exaltat nos DEUS a portis mortis ad portas filiæ Sion, dum a peccatis quidem liberat, virtutibus autem præditos facit. Quid ad has portas corneæ illæ, & eburneæ?

Inclytus Poeta Horatius, quam ſublimiter alias, tam ſubmiſſe cogitat de ſe, ſuoque corpore, ingerens in ſua Poetica, olim nos, & omnia noſtra morti in prædam tradendos.

Debemus morti nos, noſtraque.

Acutiſſimi hujus viri judicio tam miſerabiles eſſemus, quotquot homines naſcimur, ut cujuslibet trunci inſtar in nihilum recidere-

remus. Altiora vero ſapere de nobis, noſtroque corpore, ac humanis membris ſingulis Propheta Regius docet, optime gnarus, non modo animos noſtros cælo inferendos, & ibidem regnaturos; ſed etiam oſſa ſingula, & corpus in minutiſſimum pulverem contritum, poſt communem reſtitutionem cæleſti ac ſemper duratura gloria in divino domicilio circumdatum iri. Pſal. hebr. 34. v. 21.

שמר כל עצמותיו אחת מהנה לא נשברה׃

Cuſtodit Dominus, omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.

Saltem in præſtantiſſima ſua allegoria, inquis, ubi ſub navis nomine Marcum Brutum hortatur Flaccus, a bello civili ut deſiſtat, neminem unquam videbit majorem. Navim ibi exhibet nudatam remigio, Africo ſauciam, funibus egentem, laceratis velis; originem ex ſylva pontica, & genus ac nomen inutile, & pictam fruſtra puppim, nil prodeſſe ſignificat. Facile tamen & Navis hujus oblviſceris, quando audies Pſalten Poeticum Aſaphum, dum DEUM hortatur egregia plane allegoria, ut Vineæ ſuæ ſuccurrat. Deſtructam maceriem, rapinas prætereuntium, aprum de ſylva irruentem, vaſtatum ſolum, imminens exitium oſtentat. Pſal. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti:*

eje-

Digitized by Google

ejeciſti gentes, & plantaſti eam: dux itineris fuiſti in conſpectu ejus, & implevit terram: operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros DEI: extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus. Poetæ Romani, inquam, facile oblivifceris, ſi DEUM vineæ Satorem, & defenſorem, DEUM itineris ducem, & veluti colonum perpenderis; ſi palmites a flumine Euphrate uſque ad mare mediterraneum protenſos animo videris, ſpectaculo omnem prorſus oculorum aciem excedente; ſi umbram ipſam montes operientem, & cedros DEI, i. e. altiſſimas ſub umbra hac latentes contemplatus fueris. Putes, illa ficta eſſe, hæc viva. Multo etiam infirmior eſt Horatii clauſula:

Nuper ſollicitum quæ mihi tædium,
Nunc deſiderium, curaque non levis,
Interfuſa nitentes
Vites æquor Cycladas.

Aſaphus enimvero non ad nitentes Cycladas convertitur, ſed curam multo graviorem ſuſcipit, exclamatque: *DEUS virtutum* (i. e. exercituum) *convertere, reſpice de cælo: & vide, & viſita vineam iſtam: & perfice eam, quam plantavit dextra tua; & ſuper filium hominis* (Meſſiam nempe) *quem confirmaſti tibi.*

qui

Digitized by Google

qui duo verſiculi plus affectus continent ſoli, quam tota Ode Horatiana, imo quam multæ aliæ, quidquid verborum impendant, aut quibuſcunque coloribus pericula depingant.

Ovidius neque huic loco comparandus, neque alteri, qui ſequitur, dum L. 1. Triſt. Eleg. 2. ingentem maris tempeſtatem, navigantibus mortem illaturam, ita deſcribit.

Me miſerum! quanti montes volvuntur aquarum!
Jam jam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles!
Jam jam tacturas tartara nigra putes.

Neque priori loco, neque verbis Pſal. 106. v. 25. & ſq. comparari debet, in quo Pſaltes omiſſo hoc luſu inquit: *Exaltati ſunt fluctus ejus*: hebr. 107. תרומם גליו *aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* quibus minime par eſt Ovidianum illud l. d.

Rector in incerto eſt, nec quid fugiatque, petatve,
Invenit: ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

Naſonis dira imprecatio ſeu Elegia in Ibin pa-

pariter tantæ excellentiæ non eſt, ut Poeſi Davidis Pſal. 108. prævaleat, quamvis omnia maledicta, & ſiniſtros eventus agglomeret, quoſcunque fabuloſum Poetarum armamentarium ſuppeditarat: quæ poſtquam copioſi commentarii face (aliter enim intelligi nequeunt) ſenſim illuſtraverimus, Pſalmum noſtrum legamus, & intuebimur, quid inter adumbrata & vera, iracunda & juſta, ficta & ſolida interſit. Ovidiana lectoris animum inanem & frigidum deſtituunt; Davidica excitant, & horrore concutiunt, æſtuque cæleſti contra inimicum Davidis & Meſſiæ implent. De diris ad lenia, de adverſis ad proſpera, de triſtibus & ærumnoſis ad jucunda nos ducat iter, & pro ſpecimine ultimo poetico ſerviant Ovidii carmina, queis auream ætatem delineavit in ſua Metamorph. quæ nobis optemus.

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi ſtillabant ilice mella.

Hæc nobis, inquam, optemus ſæcula, imo multo feliciora olim in terra illa promiſſa, quæ lacte & melle manans merito appellatur. Sed & in hoc loco Ovidius ſe victum confiteri cogitur in conſideratione præſtantiſſimi carminis, quod Moyſes cecinit Deuter. 32. v. 13. &c.

Digitized by Google

Conſtituit eum ſuper excelſam terram, ut comederet fructus agrorum,ut ſugeret mel de petra,oleumque de ſaxo duriſſimo .... cum medulla tritici, & ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum. Flumina nectaris & flumina mellis ſunt bella ſomnia: mel de petra vere ſuxit populus, ſive cum in Palæſtina apes invenit in ſaxorum foraminibus nidificantes, ſive cum in deſertis aqua erupit e petra, ſitienti populo melle dulcior viſa, & oleo omni liquidior. Solidiora autem poetico illo nectare ſunt medulla tritici, & fructus agrorum, & ſanguis uvæ meræ, quæ ad vitam ſuſtentandam, vireſque confirmandas, non ad umbras ſpargendas, a diviniore Poeſi formata ſunt. De nobilitate ergo, & præſtantia poeticæ dictionis, neminem jam reperire eſſe cenſeo, qui non conſideratis his paucis (plura adducere amata brevitas diſſuadet) hanc cæteris Poetarum Principibus lubens antepoſuerit. Metra, ais, deſunt, ſicque nulla prorſus comparatio, nulla aurium delectatio, nulla perſuaſio, nullus motus. Eja animum accommoda benevolum, & ab omnibus, qualibuſcunque demum ſiniſtris opinionibus evacuatum. An Metra ſint in divinis Libris, hoc ipſum ſecunda hæc Pars de ipſa Poeſeos hebraicæ natura agens perquiret.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA

DE NATURA POESEOS HEBRAICÆ

§. VIII.

An certa metra in hebraicis Bibliorum carminibus fuerint.

AD nodum hunc juxta plerorumque ſententiam indiſſolubilem apte ſolvendum, non cultro ſecandum, neminem S. Hieronymo aptiorem invenero, qui cum in lingua ſacra inter natos hebrææ gentis Doctores plurium annorum ſtudium collocaſſet, ejuſdem pariter Doctor ad noſtram, totiuſque Eccleſiæ utilitatem eventu ſane feliciſſimo poſt innumeros labores evaſit. Hic, ne veluti impetu quodam rapi, & per incogitantiam aliquid eloqui videatur, pluribus in locis ad rem noſtram de Poeſi hebraica divinorum eloquiorum metris conſtricta mentionem ingerit. Clare in ejus Epiſtola 103. de hac ita legitur: *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, & Serenus lyra perſonat*. Davidi metro carenti parum apte S. Doctor lyram tribueret, factaque com-

pa-

Digitized by Google

paratio cum Græcis & Romanis Poetis, quid aliud eſſet, quam *Symphonia diſcors* (Horat. in Poet.)? De Jobo autem perſpicue Stridonienſis l. d.: *proſa incipit, verſu labitur, pedeſtri ſermone finitur*. Aliud teſtimonium reddit alia operum ſuorum parte, nempe in caput ultimum Epiſt. ad Titum, Poeticorum librorum codicis divini mentionem faciens: *qui apud Hebræos verſu compoſiti ſunt*. Quod ipſum ſe ſolo ſufficeret, etſi breviſſimum, ut nemini hominum de mente S. Hieronymi dubitare fas ſit. Verum accedit & alterum argumentum ejuſdem epiſt. 117. ubi de Prophetis loquens monet, eos non eſſe verſu ſcriptos: non ergo Hebræorum Poeſin in elatiore quodam ſtylo, uti hodie multi, conſtituit: hæc enim ſtyli ſublimitas cui unquam Prophetarum defuit? ſed præter hoc excelſum loquendi genus etiam verſus requirit, verſum Prophetis defuiſſe affirmat. (*) Multo adhuc clariora ſunt, illa,

quæ

(*) Robertus Lowth in ſua Sacra Poeſi Hebr. Prælect. 18. & ſeq. Edit. Oxon. 1753. affirmat ſcripta Prophetarum pleraque eſſe Poetica & metrica, ſuamque aſſertionem probat ex conſimili cum libris aliis metricis dialecto, ſtylo, & Poetica conſtructione, atque plurimis exemplis e Scriptis Prophetarum confirmat. Fortaſſe tempore S. Hieronymi ſcientia & traditio de verſibus Biblicis tantopere jam intercidit, ut poſterior apud Hebræos, quorum magiſterio S. Hieronymus in lingua Hebræa profecit, ad ſolos, quos commemorat, libros & capita reſtringeretur. Clarum quoque fore exiſtimo, S. Doctorem in Præf. ad Chronicon Euſebii, non ex ſua ſententia, ſed ex au-

quæ Doctor maximus Præfatione in Euſebii Chronicon ſcripſit. *Quid Pſalterio canorius? quod in morem noſtri Flacci, græcique Pindari nunc jambico currit, nunc alcaico perſonat, nunc ſapphico tumet, nunc ſemipede* (pentametra fors intelligit, in quorum cæſuris duo ſemipedes extant) *ingreditur? quid Deuteronomii, & Eſaiæ cantico pulchrius? quid Salomone gravius? quid perfectius Jobo, quæ omnia hexametris, & pentametris verſibus, ut Joſephus & Origenes ſcribunt, apud ſuos compoſita decurrunt.* Nec minus liquida ſunt, quæ in Epiſt. 115. ad Paulam urbicam in hunc modum commemorat, de Pſal. 110. & ſeq. (Hebr. 111. & (**) ſeq.) ac de Pſal. 118. & 144. hebr. 119. & 145. ita ſcribens: *in prioribus Pſalmis ſingulis litteris ſingu-*

authoritate Joſephi & Origenis ſcribere, nec Poeſi Sacræ quidpiam deceſſurum, etiamſi verſibus, qui Græcis Latiniſque correſpondeant, careret, dummodo in S. Codice alia veri nominis metra fuerint.

(**) Pſalmum 111. Edit. Heb. velut normalem Harius in Proleg. Pſal. pag. 2. Edit. Londin. An. 1736. aſſumit, eumque ita diſponit

אורה יהוה בכל לבב
בסוד ישרים ועדה
גדלים מעשי יהוה
דרשים בכל חפציהם

legendo loco Jehova *Javoh*. Ex hujus Pſalmi obſervatione efformat pag. 37. & ſequentibus certos Canones pro metris Hebræorum, quos tamen Robertus Lowth in brevi confutatione metricæ Harianæ, quæ ſuo de ſacra Poeſi Hebr. operi ſubjungitur, ex hoc ipſo Pſalmo ejuſque diſpoſitione refellit.

Digitized by Google

gulos verſiculos, qui trimetro Jambico conſtant, eſſe ſubnexos; inferiores vero tetrametro Jambico conſtare, ſicut & Deuteronomii canticum ſcriptum eſt. In 118. *Pſalmo ſingulis litteris ſinguli verſus deputantur.* Ibidem S. Doctor: *Habes & in lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabeta, e quibus duo prima quaſi ſapphico metro ſcripta ſunt, quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab una tantum littera incipiunt, heroici comma includit. Tertium vero Alphabetum trimetro ſcriptum eſt. Et a ternis litteris, ſed eiſdem, terni verſus incipiunt. Quartum Alphabetum ſimile eſt primo & ſecundo. Proverbia Salomonis extremum claudit Alphabetum, quod tetrametro Jambico ſupputatur, ab eo loco, in quo ait: Mulierem fortem quis inveniet?* Ex quo Hieronymi loco animadvertere obiter licet, univerſe carmina alphabetica, ſeu acroſtichidas in hebraico ſcripturarum canone eſſe novem, quatuor in Threnis, unum ad calcem Proverbiorum, rurſus quatuor in Pſalmis: inter quos occaſione Pſalmorum

Pſalmus 114. v. 13. verba illa habet: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Quæ in hebraico deſunt; manifeſte tamen oſtendi poſſunt aliquando ſcripta fuiſſe: quemadmodum Græci, Arabes, Æthiopes ea nobiſcum legunt. Neque vero nobis

 eſt

eſt opus eorum auctoritate, cum argumentum ſolum ἀκροςιχίδος cauſam evincat. Contra vero tres illi verſiculi, qui Pſal. 13. inter verſum tertium & quartum in Vulgata leguntur, ab hebraicis, chaldaicis, & ſyriacis exemplaribus abſunt, nec apud LXX. habentur; extant tamen in codicibus arabicis, æthiopicis, ægyptiacis, & quibuſdam græcis. Antiquitatis etiam auctoritas ſuffragatur, cum ante Hieronymi, & Auguſtini tempora locum hunc obtinuerint. Nos quamvis loco non ſuo poſitos hos tres verſiculos fateamur, aſſerimus tamen non ideo Vulgatam reprehendi poſſe.

Sed jam rurſus de prioribus audiamus denuo S. Hieronymum Præfatione in Jobum Epiſt. 113. *A principio itaque voluminis uſque ad verba Job, in quibus ait: Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: conceptus eſt homo; uſque ad eum locum, ubi ante finem voluminis ſcriptum eſt: Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere, hexametri verſus ſunt dactylo, ſpondæoque currentes, & propter linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Interdum quoque Rhythmus ipſe dulcis, & tinnulus fertur numeris lege ſolutis: quod metrici magis, quam ſimplex Lector, intelligunt. A ſupradicto autem verſu uſque in finem libri, parvum*

vum comma, quod remanet, proſa oratione contexitur. Quod ſi cui videtur incredulum, metra videlicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci, græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme ſcripturarum Cantica comprehendi: legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium: & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit. Quid loco iſto luculentius vel optari, vel fingi poſſit? omne genus roboris, quo confirmari res queat, unus hic locus complectitur. Figit limites: deſignat metrum: diſtinguit pedes ipſos, & nominat; ſeparat pedes alios per licentiam linguæ propriam adoptatos, videlicet anapæſtos, & amphibraches: excipit ſtrophas, ſeu παρεκβάσεις πινδαρικὰς, quæ, ut ipſe Horatius monuit, *numeris* feruntur *lege ſolutis*: præſagit incredulos: teſtes adhibet: ad Græcorum doctiſſimos, ad Hebræos ipſos nominatim provocat: denique imperitam ſuperbiam, & impudentem pertinaciam configit & jugulat. Siquid addi poſt talia S. Hieronymi teſtimonia debet, addamus Magnum P. Auguſtinum, qui operum volumine ſecundo Epiſt. 131. ad Memorium Epiſcopum ita ſcribit: ſibi quidem non conſtare, quibus numeris verſus Davidici conſiſtant, *certis tamen eos*

conſtare numeris illis teſtantibus, qui eam linguam probe callent.

Poſt Hieronymi tempora in metrum Biblicum nemo operoſius inquiſivit. Imo exiſtimo, nec quempiam in Africa S. P. Auguſtini ævo, nec Auguſtinum ipſum cognoſcendi metri Biblici, illiuſque dimenſionum ſtudio vacaſſe; quoniam S. P. Auguſtinus, iis ipſis Authoribus, e quibus verſus hebræos certis numeris conſtare accepit, certam etiam & determinatam numerorum dimenſionem diſcere potuiſſet, ſi notitiam hanc ſua attentione dignam judicaſſet. E vetuſtioribus Scriptoribus præter Joſephum, Origenem, Euſebium, & Hieronymum vix alium reperies, qui præter metrum Biblicum, etiam paradigmatis metri recordaretur. Theodoretus in Cant. cap. 1. v. 1. ſolum aſſerit: *Beatus David carmina compoſuit*; & nil aliud. Verſuum quoque meminit Iſidor. Hiſpalen. Orig. c. 18. Canticum Deuteronomii verſibus heroicis ſcriptum fuiſſe refert. Horum mentionem facit Franciſcus Gomarus in lyra Davidis, Edit. Lug. 1637. ille inquam Gomarus, qui in textu Sacro totam Græcæ Poeſeos elegantiam & œconomiam deprehendiſſe ſibi videbatur. Poſterioribus ſæculis omnem prorſus metri ſpeciem a ſacris Bibliis arcere adniſus fuit Joſephus Scaliger

ger in ſuis ad Euſebii Chronicon animadverſionibus, ubi ait: *Ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyſſino idiomate ulla metri ſpecies concipi poſſit, nemo efficere poteſt: quia id natura ſermonis non patitur*. Dicit; an probat etiam? nullo verbo. Eccur natura ſermonis non patitur? carebatne vocalibus? male interrogo. Dicendum fuit, an ulla lingua omnino vocalibus carere poſſit? quodſi vocales habuit, ſine quibus lingua in ore hominis eſſe nequit; vel fuere vocales illæ diſparis quantitatis, vel omnes ejuſdem? ſi diſparis, conſtabat longis & brevibus, e quarum ſtata varietate metrum omne naſcitur; ſi paris, fuit ergo ſimilis ſermoni hodierno Gallorum, & Italorum, qui quantitatem in lingua ſua reperiri negant, metra tamen ſua nominant, & verſus certis pedibus diſtinctos quotidie in templis ac theatris cum aurium voluptate percipiunt, ac diſtinguunt. Nullam metri ſpeciem concipi poſſe in hebraicis, de ſuo fortaſſis animo non eſt mentitus; aliorum autem animi id perfacile poſſunt, & explicatiſſima metrorum ſchemata per ſuos pedes ſingillatim diſtincta in oculis ac manibus omnium ſunt.

Nec defuere orthodoxi, qui ſenſim in eandem opinionem concederent, inter quos vel antiquiſſimus, vel certe ex antiquiſſimis,

Digitized by Google

Auguſtinus Steuchus Eugubinus , qui de hebraico carmine diſſerens , nulla in eo tempora, ſed numerum duntaxat obſervari ait : quin tamen contra auctoritatem clariſſimorum , & antiquiſſimorum virorum ſufficientibus argumentis pugnet . (*)

Ejuſdem cum Scaligero , & Steucho ſententiæ doctiſſimus , & ampliſſimus Calmetus ad initium Exodi in ſua diſſertatione de poeſi Vet. Hebr. ſcripſit : *Neque heroicum carmen apud Hebræos extat , neque jambicum , aliaque genera , ſed ſimile quiddam , quale barbari diverſis ritibus canunt* . Comparat ergo vir hic ampliſſimus Davidem , Jobum , Jeremiam , cæteroſque S Antiquitatis Heroes barbaris canentibus , vel potius effutientibus , quidquid in buccam venit. Argumenta ſententiæ ſuæ invicti eſſe roboris autumat ; unde affirmare non dubitavit , ſiquis ejus diſſertationem de Poeſi Vet. Hebr. diligenter evolverit , certe paris cum eo ſenten-

(*) Gilbertus Genebrardus apud Joannem Quinquarboreum in Inſtit. linguæ Hebr. Edit. Pariſ. 1621. p. 210. ne quidem Eugubino concedit carmina hebraica in rythmum deſinere. Joſephum Scaligerum & Auguſtinum Steuchum ſecutus fuit Ludovicus Capellus , qui Gomari & Meibomii ſententiam data opera impugnavit . Joannes Clericus in Diſſ. gallice ſcripta A. 1688. totam *Poeſis* biblicæ rationem in verſibus ſimiliter deſinentibus conſtituit. At Joannes Georgius Abichtius in arte diſtincte legendi & interpretandi ſcripturam Veteris Teſtamenti Typ. Lipſien. An. 1710. p. 265. hæc ipſa ſimiliter deſinentia , non ſtudio ſed caſui in lingua rythmorum feliciſſima, qualis Hebræa eſt , adſcribit .

tentiæ ſuturum. Sed retrahimur auctoritate doctiſſimorum Hebræorum, partim ſupra nominatorum, partim notiſſimi & per editos in duodecim linguarum generibus libros Georgii Mayr (*) aliorumque, qui non ſolum Poeſin hebraicam ex natura ſua impoſſibilem non agnoſcunt, verum etiam diverſorum metrorum verſus aſſignant, verſus in hemiſtichia, hemiſtichia in pedes, pedes in ſyllabas reſolvunt, integramque metricæ compoſitionis ſtructuram præſcribunt. Sed ne abſque ratione ſufficienti recedere a ſententia altera, alteram amplecti ſine inſpectis cauſis videamur, afferre oportet argumenta Calmetiana, queis lectorem omnem in ſuam perduci ſententiam opinatur.

1. Argumentum affert ex naturali Poeſi, quam arte carentem Job, aliique Prophetæ, & Patriarchæ non nulli prodiderunt: *Hæc ſcilicet omnia ſtylum referunt Poeticum, & Veteris hujus naturalis Poeſis æternum monumentum manent.* Reſpondeo. An autem naturalis hæc Poeſis metro vincta fuerit, necne, hoc ipſum in quæſtione eſt, nec aſſeri debet, ſed probari.

2. Apud Diogenem Laertium, Athenæum, & Cle-

(*) Georgius Mayr ab illis, qui variorum metrorum verſus aſſignant, verſus in hemiſtichia etc. reſolvunt, omnino diſcerni debet. Is enim in Inſtit. linguæ Heb. Edit. Lugdun. A. 1622. p. 362. & 363. exiſtimat, operam perdere illum, qui rationem biblici carminis aſſequi niteretur,

& Clementem Alexandrinum extant veſtigia, quæ oſtendunt, apud Græcos uſitata fuiſſe carmina quædam metro omnino carentia: ergo Hebræi carebant metro. R. Neg. Conſ.

3. Idem eſt guſtus Poeſeos in Davide, Eſaia, & Jeremia, qui in Moyſe; hoc fieri non potuiſſet, ſi certum metrum ſervaſſent: ergo certum metrum non ſervarunt. Probatur minor. Capi non poteſt, quomodo idem metrum per mille annorum ſpatium inviolatum maneat. Reſp. Nego minorem. Ad probationem N. illatum. Capi poteſt ab omnibus illis, qui metrum Homeri per annos bis mille ſexcentos durare apud nos vident, & diſticha, ac lyrica ſcribunt, metro duobus annorum millibus antiquiore.

4. Carmina arabica & ſyriaca multis ſæculis ſunt poſteriora Moyſe: ergo Hebræi metro carebant. R. Neg. Conſ.

5. Si Moyſes & Prophetæ certos pedes ſervaſſent, fuiſſent hi a linguarum peritis deprehenſi, & ab auctoribus in carminum ſuorum fronte adſcripti: atqui nec ſunt a peritis deprehenſi, neque ab auctoribus in carminum ſuorum fronte adſcripti: ergo certos pedes non ſervarunt. R. Philo, Joſephus, Origenes, Euſebius, Hieronymus, & alii illorum temporum hebraicæ periti hos pedes & agnoverunt, & nominarunt.

Digitized by Google

runt. Auctores vero Poematum nec apud Græcos, nec apud Romanos ſcalam pedum in carminum veſtibulo collocant; quod ne nunc quidem, niſi ad uſum tironum, fieri ſolet.

6. Poeſis metrica tam coacta eſt & affectata, ut nihil niſi ampullis plenum ab ea prodire poſſit: Pſalmi, & cætera Bibliorum carmina ampullis plena non ſunt: ergo Poeſi metrica non ſunt adſtricta. R. N. M. & carmina omnia ſuo nomine digna ex omnibus ſæculis & gentibus oppono.

7. Multa carmina Hebræorum fuerunt extemporalia, quædam etiam a fæminis cantata: ergo metrum non habuere. R. N. C.

8. Si metra apud Hebræos antiquos viguiſſent, etiam Proſodia ab illis ſcripta extaret: nulla extat: ergo metra tum non viguere. R. N. Maj. Retorqueo argumentum in græcis & romanis metris.

9. Hieronymus & reliqui Veteres tantum ſunt intelligendi de dictione poetica, vividis loquendi modis, figuris patheticis, & toto ſcribendi genere ultra vulgarem, & quotidianum ſtylum elato. R. Nolo repetere argumenta S. Doctoris Hieronymi, in quibus tum pedes, tum verſus ſunt clariſſime expreſſi: his firmiſſime innixus non curo, quid cum ſuis aſſeclis obtendat Joſ. Scaliger: malo enim aliquando, ubi

ubi de ſermone hebræo agitur, plus deferre Joſepho Hebræo; quam Joſepho Batavo. Hoc tamen adverſariis, uti commune humanitatis jus exigit, admittere debeo, ſi dixerint ſe carmen in hebraicis invenire non potuiſſe, ut eorum confeſſioni lubens & ego ſuffrager: at, ſi contendunt nunquam a quoquam reperiri id potuiſſe, plus a nobis petunt, quam vel rei veritas, vel ipſorum merita patiantur. Quæſierint, nec repererint. Non eſt meum pronunciare, qua ratione quæſierint: illud certum eſt, ſi in valle quæſieris, quod in monte ſitum eſt, te non reperturum. At illi quæſiere idem, & quia ſuo loco quæſiere, etiam invenere. Certe inventum a ſe diſtincte & ſerio teſtantur. Illiberale profecto videri poteſt, non jam rationem negare, quod ſemper diſputantibus licuit; ſed teſtimonium rejicere, & viros doctos, honoratos, ſanctos, mendacii inſimulare. Meum quidem eſſet, ut ad finiendam propediem diſceptationem ex S. Scriptura verſus exhiberem: verum candide fateor: quæ metra fuerunt, non ſuperſunt.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

An etiam nunc ſuperſint metra, quibus carmina ſua Theographi ligarunt.

QUÆ fuerunt, non ſuperſunt. Multo jam magis anceps & intricata eſt quæſtio, utrum videlicet ea metra, quibus hebraica antiquæ legis carmina ab auctoribus ſcripta eſſe oſtendi, nunc etiam in divinis libris ſuperſint. Ad hoc indicandum quo planior fiat aditus, duo quædam dubia breviter percurram, alterum de punctis ſecundi ordinis, alterum de ſcheva quieſcente. Vocalia quinque puncta ſecundi ordinis (-) (∵) (.) (:) (⁝) aliter omnino ab aliis accipiuntur. Plerique eorum etiam, qui hebraice ſatis periti ſunt, hæc puncta a quinque longis diſtinguunt, & brevia cenſent, opinionis ſuæ argumentum illud afferentes, quod brevia inde a ſua origine ſemper ab omnibus dicta ſunt, atque dicuntur. At Elias Levita, ejuſque aſſeclæ, etiam Chriſtiani, in carmine ſuo Rhythmico puncta hæc eſſe longa contendunt, ſolique ſcheva ſimplici, & compoſito, brevitatem concedunt. Utri parti aſſentiendum? æquitatis amor, & rei incertæ ambiguitas a me impetrant, ut neutri refra-

ger;

ger ; ſed utrique potius tantum deferam, quantum utraque pars deſiderat. Admitto, puncta hæc ſecundi generis quinque ad Poetæ arbitrium longa aut brevia eſſe poſſe, & pro communibus uſurpari; profecto id niſi fiat, nulla omnino ſpes eſt ad ea metra perveniendi, quæ prius ſtabilita ſunt. Ut ex ſolo Hexametro, Jobi proprio, argumentum petamus: unde obſecro dactylos ei metro neceſſarios exſculpere unquam poterit, qui præter ſcheva ſyllabam brevem non admittit? in ſyſtemate Elianorum, ſpondæis abundantium, quam inamœni verſus forent, colliget Lector ex illis ſpondaicis, quos D. P. Auguſtinus L. 4. de Muſica c. 6. exempli loco propoſuit.

Solus liber vere vivit, qui erroris vinclum jam vicit.
Solus liber non falſo vivit, qui erroris vinclum jam devicit.
Solus liber jure ac vere vivit, qui erroris vinclum magnus devicit.
Solus liber jure ac non falſo vivit, qui erroris vinclum funeſtum devicit.

Interjectis dein pluribus ejuſdem generis verſibus ſpondaicum ultimum ſexdecim pedum hunc proponit:

So-

Solus liber jure ac non falſo ſecuram vitam vivit, qui erroris vinclum tetrum ac funeſtum prudens jam devicit.

Hæc S. Pater tantum exempli & exercitationis cauſa propoſuit: ſerio qui rem voluerit, invenies neminem e græcis, latiniſve Poetis. Quod legitur in fragmentis Ennii,

Cives Romani tunc facti ſunt Campani,

Hexameter eſt ſpondaicus, ideo bonus, quia ſolus; & aſperitatem convicii aſperitate pedum bene referens. Sæpius ſi auſis, næ tu illudendis & offendendis auribus aptior, quam recreandis cenſebere. Non quidem me latet diſcriminis aliquid inter hæc ſpondaica, & verſus Elianos: cum in illo meræ longæ auditum obtundant, in his brevium quædam intervalla duritiem leniant, verſumque paulo tolerabiliorem efficiant. Verum defectus harmoniæ idem eſt: quippe ſpondaica, ut ad aurem allabuntur, nonnunquam Rhythmico numero trochæos tam belle mentiuntur, ut cum iis paria faciant, & lenitate illa ſyllabarum brevium Elianarum nihilo inferiora ſint. Sed hæ velut ἐν παρόδῳ.

Eadem ratio ſuadet, vel potius neceſſitas co-

cogit, ut ſcheva etiam quieſcens ſeu mutum inter ſyllabas breves in carmine conſiſtere tantiſper patiamur. Ajebat paulo ante S. Hieronymus, in Hebræorum verſu hexametro alios etiam pedes non raro admitti, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. Horum pedum alter, ut natura hexametri exigit, anapæſtus eſſet, aut amphibrachys; alter proceleuſmaticus. Age jam, profer tu mihi proceleuſmaticos, qui continuis quatuor brevibus ſyllabis conſtent in ſermone hebraico, niſi etiam ſcheva quieſcens in ſubſidium voces. Neque me conturbat illa ratio, quæ contra proferri ſolet; quod in proſa oratione illud obmuteſcat. Exemplum præbet una ex nobiliſſimis Europæ linguis, quæ & ſuperiore ſæculo, & præſenti illuſtriſſimos Poetas dedit, Lingua Gallica: in ea enim (*e*) mutum etiam cum in ſoluta oratione, vulgarique colloquio ſono caret, in carmine tamen ſuum locum obtinet, & ſyllabæ menſuram ita implet, ut ſine illo verſus conſtare ſibi, neque Alexandrinus, neque alius quicunque ullo modo poſſit. Nihil eſt ergo, cur dubitemus (*e*) breviſſimum, etſi mutum in quotidiana lectione aut ſermone, in carmine ſoni privilegio donare, & pro ſyllaba brevi admittere, cum id temporibus Poeſeos cultiſſimis in lingua politiſſima contingere millies videamus.

His

Digitized by Google

His præſidiis multo faciliorem, & expeditiorem fieri carminis hebraici rationem, nemo eſt, quin intelligat: ſed etiam in liberalitate tanta deſignatos a veteribus ordines verſuum non invenimus. Exemplis agendum eſt, quorum duo ſolum genera, ſi attigerimus, facilis de cæteris quoque conjectura erit. Hexametrum igitur in Jobo, Adonicum in Threnis tentemus. Jobi hexametros S. Hieronymus ab illis verbis inchoari ait: Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo. Id hebraice nunc ita legimus:

יאבד יום אולד בו והלילה אמר הרה גבר :

Si ſyſtema ſerves decem longarum vocalium cum Elia; verſus hic nullam hexametri ſpeciem refert: nam primo ſyllabas longas habet omnino ſexdecim, cum tamen hexameter ultra undenas longas non recipiat. Secundo deeſt dactylus in pede penultimo. Tertio habet pedes octonos, cum intra ſex includi eum oporteret. Quarto ſcheva mobile pro ſyllaba brevi acceptum inter duas longas in hexametro locum non habet. Idque rurſum contingit, ſi etiam ſcheva mutum ejuſdem vocabuli והלילה pro ſyllaba carminis computare placeat. Ne in altero quidem ſyſtemate, videlicet quinque punctorum ſecundi ordinis brevium, idem ver-

ſus in pedes debitos diggeri poteſt : prodibit enim ſchema pedum, ſeu ſcala verſiculi, hujuſmodi.

I	II	III	IV
- ⏑	- ⏑	- ⏑	- ⏑ ⏑ ⏑
Jovad	*jom iv-*	*valed*	*bo: ve al haj-*

V	VI	VII.
- -	⏑ - -	- ⏑
la a-	*màr hòra*	*gàver.*

Ubi vides, primo non eſſe hexametrum, ſed heptametrum. Secundo dactylum neceſſarium in penultimo pede abeſſe. Tertio pedem primum, ſecundum, tertium, quartum, & ſextum tales eſſe, ut in hexametro locum non habeant.

In Threnis commodum accidit, quod alphabeti litteræ veluti limites conſtituti ſint, ne ſtropharum initia ignorare poſſimus. Stropharum clauſulas Hieronymus ait eſſe commata hexametrorum, quæ adonica appellamus, e dactylo ſpondæoque conflata. Threnorum א in hæc verba c. 1. deſinit:

Facta eſt in tributum. היתה למס

ב ſic concluditur:

Facti ſunt ei inimici. היו לה לאיבים

In

In his duobus verſiculis nullum eſt diſcrimen ſyſtematum: cum omnes vocales ſint primi ordinis, ac proin omnes longæ, excepto Patach in ſyllaba ultima, quæ tamen eſt ad Poetæ arbitrium, vel in ipſis græcis, latiniſque carminibus. Supereſt tantum (:) mobile, per quod tamen adonicis noſtris non conſulitur. Schema intueamur.

Aleph	*Hajetha*	*lamas*
Beth	*Hajulah*	*leojevim*

Ex his etiam de cæteris judicare, ſatis ſuperque licet. Cauſam hanc jam dudum perſpexerunt, orbique litterato prodiderunt viri hebraice doctiſſimi, quod nimirum puncta vocalia poſterioribus ſæculis non eodem modo ſervata ſint, quo ab ipſis auctoribus Theographis quondam poſita fuerant; ſive id a Maſorethis factum, ſive lapſu temporum ab aliis introducta mutatio eſt. Cujus rei argumenta tam luculenta, tam multa, in nominibus propriis ſuperſunt, ut ambigere nemo poſſit. Hujuſmodi exempla præbent *Marjam*, *Samſon*, *Galaad*, *Madian*, aliaque ſexcenta: quæ qui legunt, ſcribuntque *Mirjam*, *Simſon*, *Gilead*, *Midian* &c. nequaquam, ut

Digitized by Google

vulgo creditur, cum hebraico melius quam Vulgata conſentiunt. Quapropter Benedictus Blancuccius in Inſtit. lingu. Hebrai. Edition. Rom. 1608 pag 252. ingenue fatetur veteris Poeſeos leges, etiam ab Hebræis, hucuſque ignorari. Accedit Georg Mayerus, Inſt. hebr. part.6. Edit. Lugd. 1622. in præfat. *At quales hi modi ac verſus, adhuc nemo recentiorum ſatis eſt aſſecutus, nec conandum cuiquam videtur, ut aſſequatur. Cum & illa* (puncta vocalia) *unde ratio metri dependet, adeo incerta ſint; profecto quale, quodve genus carminis ſit, conſtare non poteſt*. Idcirco & Joannes Gerardus Voſſius L. 2. Ariſtarchi c. 36. de antiqui carminis hebraici forma inquit: *Quam Judæi pariter ac Chriſtiani neſcire ſe fatentur*. Ignorantia ergo pronunciationis priſtinæ bene in cauſa eſſe cenſetur, ne metra amplius inveniamus.

§. X.

AN METRA NOVA IN LOCUM AMMISSORUM SUBSTITUI POSSINT.

AMmiſſis ſemel veteribus metris, vehementer elaboratum a pluribus eſt in eo, ut nova quædam metrorum ſimulacra conderent, vel e veteribus noviſque concinnarent: in quibus

Digitized by Google

bus quam feliciter, & quouſque proceſſerint, jam nunc videamus.

Doctiſſimus Vatablus ſyſtema excogitaſſe fertur, ad quod metra Jobi & Pſalmorum effinxerit. Cum autem is Vatabli labor in lucem publicam nunquam prodierit, & jam pridem in tenebris conſenuerit, ad examen revocari nequit. Hoc

Felicius laboravit Herbertus paucula quædam ſpecimina e Pſalmis, & ſingula e Jobo & Proverbiis ad noſtrorum verſuum ſimilitudinem adaptans. Sed id quæſtionem propoſitam non exhaurit: quippe, ut recte Clar. Calmetus, hac ratione e quolibet libro proſa ſcripto aliquot laciniæ excerpi poterunt, quæ alicubi metro latino reſpondeant; quin tamen inde conficiatur, totum illud volumen carmen eſſe.

Silentio involvam Meibomium, qui patrum noſtrorum memoria Poeſeos hebraicæ ſyſtema novum profeſſus, fidem ſuam non liberavit, ſed intolerabili arrogantia irridendum ſe univerſo orbi præbuit. Commemorabo tantum

Marianum Victorium Reatinum Epiſcopum, de ſe ipſo confitentem, ſe aſſecutum eſſe hoc ſecretum, quin vel modum, vel verſuum exempla in medium afferret. Quo liberalior

Digitized by Google

Franciſcus Gomarus duobus libris univerſam carminis hebraici œconomiam vulgavit. Quapropter ab initio plauſum tulit ingentem, uti ſolent res novæ, de quibus judicare paucorum eſt; at paulo poſt a Ludovico Capellio ita convulſus, vix ut appareat. Tollit Gomarus univerſe ſonum puncti (:), & omne jus ſyllabæ illi ubique adimit, ſtatuta lege, quam omnes uno ore grammatici damnant: *nunquam ſonare, ſed ſignum duntaxat eſſe littera omnino vocali carentis*. Quod ſi quis cum Gomaro admittat, unde illi emergent dactyli ad hexametros & ſapphica? unde alcaica? unde adonica? imo unde etiam jambici verſus, ſive trimetri, ſive tetrametri conquirentur? Illud etiam in Gomaro Capellius non injuria reprehendit, quod hodiernas vocales exiſtimat eſſe eaſdem, quas auctores ipſi in animo habuerunt, cum divina hæc carmina pangerent. Quod tamen non modo idoneis argumentis probari non poteſt, ſed etiam contrariis refellitur. Denique fatetur ipſe Gomarus, per regulas ſuas omnes plus non effici, quam ut tres verſus continui ejuſdem generis eruantur, plures vix unquam. Igitur Legiſlatorem hunc irridens Capellius, objicit Poetas græcos, latinoſque, e quibus quis unquam certas & ſtabiles auderet colligere regulas, ſi

ultra

ultra tres verſus continuos ejuſdem metri nunquam, vel vix unquam, eorum carmina nobis relicta complecterentur? ſed quia totis libris conſtanter eædem ſyllabarum vices redeunt, ideo certæ firmæque metrorum leges elici, ac in perpetuum conſtitui a peritis obſervatoribus potuere. Demum

Bibliotheca univerſalis gallica vadum aliud oſtendit, totamque Poeſeos hebraicæ veteris rationem in Rhythmo ſitam eſſe docet. Verum ſi ita eſt, jam omnia Poeſis erunt: nam ut nihil aliud afferam, Maſculinorum ים & Fæmininorum ות omnes paginas implent, imo omnibus pæne verſibus interſunt. Profecto facilius eſt hos, & ſimiles rhythmos ubique invenire, quam declinare aliquamdiu. Certis autem dimenſionibus ſervatis, nimirum totidem ſyllabarum intervallis, aliiſve ad numerum reſpondentibus poeticis ſpatiis, continuatos ſtata ſerie rhythmos nullo pacto in carminibus Hebræorum canonicis deprehendes. Si rhythmos qualeſcunque ſufficere dicas, etiam ſine verſiculorum, aut ſyllabarum præcedentium menſura, dummodo lineis brevibus longiſque nullo diſcrimine ſuffigantur: ſane proſa nulla ſupererit, & jam Pentateuchon & Joſua cogentur Poemata fieri, ut Job & Pſalterium. Imo vero, ſi hanc legem accipimus, totus De-

moſthenes apud Græcos, Salluſtius apud Latinos, repente in carmina totidem ſervatis verbis commutabuntur; & quis non auctorum? quandoquidem nemo eſt, cui non rhythmi ex intervallo obrepant, etiam non cogitanti, nihilque minus quærenti. Valeat igitur & iſta ratio Poemata in divinis libris indagandi, per quam, quia plus obtinetur, quam quiſquam velit, in eo, quod quæritur, nihil præſtatur (*).

Quid ergo? deſerenda hæc ſparta eſt, & aperte confitendum, non poſſe nos in hebraicis Bibliorum Canticis metra oſtendere? Si de veteribus, & uſitatis metrorum generibus, de hexametris & pentametris, ſapphicis & adonicis, trimetris ac tetrametris ſermo ſit; ſatis dictum ſupra, ea in hodiernis S. Scripturæ exemplaribus deprehendi non poſſe; non tamen idcirco deſperandum eſt, ſiquis induſtria uti velit. Nam etſi ad vera auctorum hebraicorum metra punctorum mutatione clauſus & obſeptus eſt aditus, nova tamen concinnare metra licebit; non e confictis pedibus carminumve generibus, ſed e veris & jam pridem inventis compoſita.

Revolve animo Pindaricas odas, in quibus

(*) Hic adde Blaſium Garofalum in lib. *Conſiderazioni intorno alla Poeſia degli Ebrei e dei Greci impreſſo in Roma* 1707. Franciſcum Harè in Pſalt. Edit. Londin. 1736. Robertum Lowth de ſacra Poeſi Heb. Edit. Oxon. 1753. ſup. cit.

bus verſiculi auctoris arbitrio excogitati varii, & inter ſe mixti, numeroſum nihilominus carmen conſtituunt. Hunc Pindarus modum in ſtrophis ubique ſervat, & hoc ſenſu *numeris fertur lege ſolutis*, ut Horatius de eo canit: Epodos Pindari eandem libertatem ſervat; nec tamen minus poetice aut minus eleganter ad aurem allabitur. Equidem Pindarus Strophis ac Epodis Antiſtrophas interpoſuit, quarum verſus ſinguli ſingulis ſtropharum verſibus ad dimenſum reſponderent. Genus hoc inter Latinos ſectatus eſt Franciſcus Guillimanus. Parvi pendere illud non poterunt, qui Pindarum non laudant ſolum, verum etiam ſuper aſtra attollunt; imo ne illi quidem, qui verſus italicos, & anglicos prædicant, etſi rhythmo ſimul, & quantitate carentes, cum in Pindaricis his quantitas obſervetur. Ajo igitur, Carmina omnia Canonis divini hebraici ad metrum revocari poſſe, ſi Stropham, & Epòdon ſeu verſus Pindaricos, rejectis tantum Antiſtrophis, in hebraico adoptemus. Siquis malit Dithyrambum appellare, non minus expedita erit carminis ratio, multoque etiam notior: quandoquidem Græcorum veterum & Latinorum recentiorum exempla Dithyrambi non pauca ſuppetunt. Speciminis loco ſint primi illi verſiculi, unde Jobi carmen inchoari D. Hier. inquit, qui ſic habent: Ver-

Verſus 3. c. 6.

Jovad jom ivvaled bo

Trochaicum Euripidium, ſeu trium pedum procurrens.

Veballajla amar hora gaver

Anapæſticum quatuor pedum procurrens.

Verſus 4.

Hajjom hahu, jehi Choſchech

Epitriticum duum pedum.

Al jidreſchehu Eloah Mimmaal:

Jambithyphallicum

Veal topha alav nehara.

Bacchium trium pedum.

Verſus 5.

Jigalyhu Choſchech vedſalmaveth

tiſchcon alavanana:

Jambus octo pedum procurrens

Jevaathyhu Kimrire jom

Creticum trium pedum deficiens.

Imò

Digitized by Google

Imo & alius ſupereſt modus, quo carmina tum Davidica, tum cætera omnia, ad metrum perpetuum revocari poſſint. Si uno verbo id appellandum eſt, dicere jambochoreum licet. Metri hujus determinatio ita conſtituitur, ut intra ſex pedes plerumque contineatur, eoſque jambicos, admiſſis jamborum æqualibus, ut apud Græcos, Latinoſque, imo apud Germanos quoque videre eſt. Conceditur etiam Poetæ licentia, a jambo ad choreum, ſeu trochæum ſubinde tranſeundi, ſi res ita tulerit, & major opportunitas ſuaſerit. Ne quis objiciat, metrum hoc pro arbitrio confingi, contrarium liquet ex metro Terentii ac Plauti, quod per multa ſæcula ab eruditis fruſtra quæſitum, tandemque repertum, eſt ipſiſſimum hoc, quod in hebraicis modo propoſuimus.

Calculis igitur poſitis, deprehendimus in Canone Hebræorum Poetico fuiſſe aliquando metra, quæ cum a viris maximis prodita, & a S. Hieronymo præſertim tam diſtinctis notis & evidentibus inſignita ſint, ego quidem impudentiæ ſtygma vererer, ſi inficias irem. Eadem tamen hodie non ſupereſſe, res ipſa luculenter oſtendit: qui negat, eat ſane, & idoneum quid exſculpere aggrediatur. Id unum operæ pretium referet, plurimorum exemplo, ut *ſudet multum, fruſtraque laboret Auſus idem.* (Horatius in Poetica.) Quodſi

Digitized by Google

Quodſi tamen omnino verſus aliquos certis metris ligatos poeticus amator deſiderat, Pindarici generis carmina nuſpiam deerunt, variis vinculis contenta, & utique ad arbitrium confícta. Vel, quod ſecundo loco dictum eſt, continuum ac perpetuum metrum, Jambochoreum, haud difficulter Pſalmis omnibus Canticiſque aptabitur. Quæ duo adminicula ſi recipimus, & alterutro hoc modo nos metra in Canone hebraico poſſidere cenſemus: eodem jure hebraicos divini Codicis libros, imo & Vulgatam latinam, & Hiſtoricum, aut Oratorem quemcunque, metris conſtare totum, quantus eſt, affirmari ſine falſitatis periculo poterit.

PARS

PARS TERTIA

DE USU POESEOS HEBRAICÆ

X I.

PRIMA CURA HABENDA EST SENSUS LITTERALIS.

NE quis nobis tanquam inaniter ludentibus iraſcatur, pertractata Nobilitate & Natura Poeſeos hebraicæ, ad ipſum ejus uſum, unicuique ſaluberrimum, pluribus neceſſarium, nemini diſſuadendum accedamus. Primo mox cujuslibet verbi veſtigio intime conſiderare oportet ſenſum, quem ex natura ſua, ſeu propria ſibi ſignificatione præſefert. Utuntur omnes jam communi Theologis diviſione ejuſdem in *hiſtoricum* vel *litteralem*, ac *ſpiritualem*, qui complectitur allegoricum, anagogicum, tropologicum ſeu moralem. Quam diviſionem Apoſtolus docet: Lex enim antiqua eſt figura novæ, unde oritur in ejus ſignificatione ſenſus allegoricus. Lex nova, ut ait Dionyſius, eſt figura futuræ in cælo gloriæ; unde Anagogicus. Quæ lege nova in capite geſta ſunt, ſigna ſunt eorum, quæ membris agenda; unde tropolo-

polo-

pologicus ſeu moralis. Ex quatuor his uſitatis S. Scripturæ ſenſibus potiſſimam rationem habendam eſſe Litteralis, ex Doctorum Anteſignano S. P. Auguſtino Angelicus Doctor Divus Thomas docet in I. P. Q. I. art. 10. ad 1. *Cum omnes ſenſus fundentur ſuper unum, ſcilicet litteralem, ex quo ſolo poteſt trahi argumentum, non autem ex his, quæ ſecundum allegoriam dicuntur, ut dicit Auguſtinus in Epiſtola contra Vincentium Donatiſtam.* Cujus ratio omnibus perſpicua hæc eſſe poteſt: Deus locutus eſt hominibus modo humano, & eorum opera uſus; modus autem humanus eſt, ut ante omnia reſpiciamus, & cogitemus, quid verba ipſa præſeferant, & communi uſu linguæ ſignificent (niſi fors alia ratio contrarium ingerat); ergo præ cæteris eveniet ſenſus litteralis & hiſtoricus tanquam fundamentum totius ædificii: ex hoc dein ope ingenii eruuntur allegoricus, anagogicus, moralis ſeu tropologicus. Attendendum ergo præ cæteris, ne amplectendo ſenſum litteralem decipiamur: cum ſic, ſi fundamentum omnium conceptum & purum ſolum, cui omnia inædificantur, infirmum & mobile ſit, fieri non poſſit, ut labefactari cætera nequeant. Ex litterali igitur alios ſenſus indagemus, & in referendis antiquæ legis myſteriis eo utamur, ut monet S. P. Auguſtinus

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. 131. narrata hiſtoria Davidis, inimico Sauli in ſpelunca parcentis: *Solemus in Pſalmis non ad litteram attendere, ſicut in omni Prophetia, ſed per litteram ſcrutari Myſteria.*

Etſi porro plures ſenſus unicum vocabulum præferre videtur, ſæpe re ipſa non differunt. Inſigne hujus teſtimonium eſt locus notiſſimus Pſal. 2. נַשְּׁקוּ־בַר *apprehendite diſciplinam*, inter Doctores hebraicos, noſtroſque toties jam magno ſtudio agitatus. *Hebraice* ſignificat: oſculamini filium. *Chaldaice*: recipite doctrinam. D. Hieronymus vertit: adorate pure. *Septuaginta* & *B. Lucianus* nobiſcum: apprehendite diſciplinam. Univerſæ hujus diverſitatis cauſa haud alia eſt, quam vocabulum בר quod ſignificat filium, munditiam, ſive puram integritatem, oſculum reverentiæ, quod Hebræis idem eſt, ac ſignum adorationis, & etiam aliis gentibus non ignotum. Cum ergo Pſalmum hunc omnes tum Hebræi, tum Chriſtiani de Meſſia intelligant, ſingulorum interpretationes componuntur in unam: adorate filium, ſed adorate pure, ſerio, vere, doctrinam, & diſciplinam ejus arripientes, & morum ac vitæ munditia exprimentes. Erudite has difficultates coadunat V. cl. Joannes Bapt. Eberenz in Regulis Methodi Hagiographicæ cap. 5. §. 7. per Anabathmum ſeu modum loquen-

quendi orientalium, aut aſcendendo, aut deſcendendo, abſque expreſſione graduum ita, ut gradus ſummus, aut infimus idem ſignificet, quod gradus ille, unde aſcenſio, vel deſcenſio inchoata eſt. Sic, qui aliquem agnoſcit, ut ſuum Regem, ei præſtat homagium; qui præſtat homagium Regi, ille apud Orientales ritu patrio id oſculo teſtatur, hoc oſculo profitetur ſe Regi ſubditum; qui eſt ſubditus, apprehendit præſcriptam a Rege diſciplinam: ergo oſculans filium & apprehendens diſciplinam idem ſunt. En, quam magna primo obtutu eſt viſa differentia, tam levis, imo nulla eſt, atque ſenſus litteralis & Vulgata optime defenditur.

Ad quam defenſionem contra hæreticos, Vulgatam noſtram continuis aſſultibus impetentes, optimum remedium eſſe notitiam primævarum linguarum quis neget? uti etiam ad eruendum ſenſum litteralem, quando in Vulgata obſcurus, vel quodam velo obductus eſt. Una enim lingua exponit obſcuritatem alterius, velumque removet, ut amica veritas emineat, quam alias nunquam deprehendes, niſi fors ex improviſo obtigerit, & ſponte ſe obviam dederit. Quotus enim quiſque eſt, qui audeat ſine linguarum primævarum notitia ſenſum litteralem in ſacris Libris invenire? etiamſi

lati-

latinæ linguæ peritia alter ſit Cicero aut Varro, omni ſua arte in Jobi libro quaſi in labyrintho oberrabit, cum Arabiſmi, quibus ſcatet, viam communem undequaque impediant. Quibus oculis ſalutabit Danielem & Eſdram, ubi Chaldaiſmus Hebraiſmo permixtus eſt? Quomodo explicabit tot Syriſmos, quibus univerſa lex nova redundat? quot inſuper ibidem ſunt Helleniſmi & Hypallagæ? quot orientales loquendi modi? quot ignota proverbia? quot reconditæ vetuſtates, quot Phraſes Latinis inſuetæ, nexuſque peregrini? quæ omnia ſine linguis primævis occulta eſſe myſteria videntur. Interpretes habes? gratulor tibi, ſi tales, qui ipſimet non peregrini in Iſrael: cujus deſcriptionem ſi tantum aliunde acquiſiverunt, tam facile ac cæci Duces fidentem te in ignorantiæ vel erroris foveam præcipitem dabunt. Sint autem peritiſsimi illi: quoties eorum mentem omnino non capis, aut tantum ex parte? quid ſi non tales? ſi tantum illos, qui orientales linguas, ſeu claves divini armarii, veluti monſtra refugerint? qui lucem veluti tenebras oderint? qui ſuas opiniones veluti κυρας δοξας cum detrimento S. Codicis vendiderint? emptorémque obſoletis, parum dixi, fraudulentis mercibus deceperint? quid ſi nulli interpretes? quid ſi non conſentiunt?

quid ſi ipſi Patres varias in ſeneentias abeunt? cui adhæres? quem cæteris præfers? quid ſi hæretici, ut fieri ſolet, ad fontes S. Scripturæ provocent? quid reſpondebis? quomodo verbum divinum defendes?

§. XII.

An in Divinis Libris Ταυτολογία & Ταυτοστιχία locum habeant.

SI vero ſubinde in S. Codice plura vocabula ſe offerant Lectori, quæ prima fronte eundem exprimere ſenſum videntur, noli mox ſynonymias appellare, quales non niſi lectoris culpa, has aut non intelligentis, aut diſcernere non valentis, videntur. Exemplo ſerviat, extra Pſalmos quidem, dictum Jeremiæ c. 46. v. 3.

ערכו מגן וצנה

præparate ſcutum & clypeum. In quo facile critici non ſatis critici enſem & gladium ſe deprehendere autumant, quamdiu curta ſua decempeda ſenſum metiuntur. Deſinent autem ſuſpicari, cum didicerint, ſcutum a clypeo tam forma, quam fine diſcrepare. Scutum enim quadratum erat, & oblongum; clypeus rotundus. Sicut etiam finis & uſus differunt; ſcuti eſt obtegere totum corpus, clypeus ſoli pectori ob-

Digitized by Google

obtenditur. Item ignoratione linguæ falletur, non hebraicæ tantum, ſed ipſius latinæ, qui ſibi perſuaſerit idem eſſe Pſal. 50. *Gaudium & lætitiam*, Pſal. 39. *Sacrificium & oblationem noluiſti*, Pſal. 44. *Audi filia . . . & inclina aurem tuam*.

Falſum eſt, regulatè in S. Scripturæ carminibus hemiſtichium poſterius eſſe meram prioris iterationem. Excipitur tantum repetitio illa, quæ iiſdem prorſus verbis ad majorem ἐνεργείαν, aut fit, aut fieri potuiſſet. Talis repetitio eſt in Pſal. 106. ubi *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum* quatuor vicibus repetitur per intervalla. Ejuſmodi repetitio apud Latinos, cæteroſque Poetas reperitur frequentiſſima, præſertim in Elegiis, Eclogis, Phaleuciis ſive Hendecaſyllabis. Suaviſſimum & ad motum aptiſſimum eſt, quod legitur Pſal. 135. ubi verba *quoniam in æternum miſericordia ejus*. Hebr. 136.

כי לעולם חסדו

vicies & ſepties repetita ſeriem totius Pſalmi per ſingulos verſiculos bifariam ſecant. Plures extant tales loci, in quibus vel ingens ſpei, gaudiive abundantia, aut vehemens veritatis aculeus deſignatur. Ταυτοςιχίαν autem, quæ re vera nil niſi inanis Battologia foret, nec in Pſalmis, nec alibi reperias. Non eſt Synonymia in De-

boræ Cantico, cum ait: *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in judicio, & ambulatis in via, loquimini*: ſed tres hominum claſſes diſtinguuntur, divites, judices, vulgus. Non ſunt Synonymiæ in Pſalmorum longiſſimo 118. ut ex hoc uno aliquot exempla proferam, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*; verſ. 105. Pſal. Hebr. 119.

נר לרגלי דברך ואור לנתיבתי

Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui v. 120.

סמר מפחדך בשרי וממשפטיך יראתי׃

Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis v. 130.

פתח דבריך יאיר מבין פתיים׃

Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injuſtitia v. 133.

פעמי הכן באמרתך ואל תשלט־בי־כל און׃

Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum 137.

צדיק אתה יהוה וישר משפטיך׃

In quibus omnibus hemiſtichiorum diverſitas inter ſe oſtendi nullo negotio poteſt.

§. XIII.

§. XIII.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De sensu accommodatitio.

CAvendum, ne proprio confiſi ingenio ſenſum pro libitu exſculpamus, aut non attendentes ad integrum ſermonem brevi ſenſiculo intra comma incluſo contenti ſimus, reliqui textus nulla habita ratione. Senſus commaticus, quo S. Scripturæ locus a ſuo contextu avulſus ita exponitur, ut ſenſui litterali repugnet, non immerito excitavit S. Hieronymum, alioſque, ut eum perſequi omnibus viribus allaborarent. Hieronymus quidem jam ſua ætate invaleſcentem penitus opprimere plurimum conatus eſt, hunc in modum contra eum locutus, L. IV. in Matth. ad ejus c.25. *Prudentem ſemper admoneo lectorem, ut non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commatice pro fingentium dicuntur arbitrio: ſed conſideret priora, media, & ſequentia, & nectat ſibi univerſa, quæ ſcripta ſunt*. Indignatus alibi S. Doctor de commaticis interpretibus ad Paulinum epiſt. 103. ita ſcribit: *Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſum dicendi genus, depravare*

ſententias, & *ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem*. Demum minas intendit in negligentes ex contextu eruere ſenſum L. 1. in epiſt. ad Gal. *Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne forte interpretatione perverſa de Evangelio Chriſti fiat hominis Evangelium*. Sic tales ſubinde extunduntur ſenſus, quales Prophetæ, etſi Prophetæ, elicere haud potuerint. Exempla talium ubique ſunt obvia, contra quos fulminat cum cæteris doctiſſimus Amadæus Bajocenſis in Paulo Eccleſiaſte, ubi aſſignat textum commatice, ſed peſſime, applicatum ex Propheta Habacuc, pro themate concionis feſto S. Bartholomæi: *turbabuntur pelles Madian*. De his, aliiſque commaticis adhiberi poteſt dictum Doctoris gentium ad Rom. X. 2. μαρτυρω γαρ αυτοις, ὅτι ζιλον Θεȣ εχȣσιν, αλλ' ȣ κατ' επιγνωσιν.

Injurius aut omnino impudens viderer, ſi idem de ſenſu accommodatitio, quod prius de commatico affirmarem. Tot enim hic patronos numerat, quot ſacrarum paginarum Interpretes ſunt, quot Concionatores, quot Aſcetæ, quot Myſtici, imo quot Patres Eccleſiæ. Abſit a me hæc injuria; non tantum non aggredior illæſum hoc jus infringere, ſed defenſor, & laudator accedo, cum ſermo eſt de ſenſu *vere* accommodatitio, qualis cenſetur, *qui a ſenſu lit-*

litterali ſic abit, ut eo veluti fundamento adhuc nitatur, & ideo vere accommodatitius appellatus, quia a veritate ſenſus litteralis eſt derivatus. Exempla illius ubique ſunt obvia. Unum addam S. Gregorium, qui textum Jobi 28. 25. *Qui fecit ventis pondus*, ubi Jobus loquitur de Deo omnia reſpiciente, etiam ventos ipſos, pluvias, & procellas dimetiente, ab aeris noſtri ventis ad animos humanos traducit, eiſque ſic accommodat XIX. 4. Mor. *Pondus ergo accipiunt animæ, ut ab intentione Dei non jam levi motu diſſiliant, ſed in eum fixa conſtantiæ gravitate conſiſtant* &c. Dixi autem *vere* accommodatitium, quia alius eſt *mere* accommodatitius, ſeu *qui a ſenſu litterali ſic diſcrepat, ut nulla cum eo connexione copulatus, ex mero pendeat arbitrio interpretantis*; mere accomodatitius dictus, quia mero explicantis judicio ita eſt conceptus. Toto hic cælo a priori diſtat, ideo malus, quia diſcedit a littera ceu omnium ſenſuum fundamento, ut ſuperius dictum eſt: cui ſi non inædificetur tota ſtructura, erit caduca: expoſitiones vero hujuſmodi, nequaquam ſolidæ erunt, ſed adulterinæ. In eadem enim navi, imo in eadem ſentina eſt cum commatico. Unde merito hanc S. Scripturæ exponendi libertatem jam pridem deploravit Antonius Vieira: cum fiat ſtylus tyrannicus & violentus, ad-

ducanturque S. Scripturæ *textus tam triſtes, quaſi ad torturam : alii peregrini , alii implexi , alii conciſi .* Tales expoſitiones ſunt : *Trium tibi datur optio , elige unum* (2. Sam 24. v. 12.) de uno ex tribus propoſitis Antiſtite eligendo . *Vocabitur nomen illius in Iſrael , Domus Diſcalceati* (Deut. 25. v. 10.) de S. Joanne a Cruce . *Quartus frater* (Rom. ult. v. 23.) in natalem Principis Regii quarto loco geniti . *Dirumpamus vincula eorum ; & projiciamus a nobis jugum ipſorum* (Pſal. 2. v. 3.) de ſancto Dei ſervo honores , & mundi vanitates excutiente . Aliaque id genus innumera .

Temerarium tamen foret, ſi ſtatim in qualibet ſententia illum impugnare veritatem aſſereremus , qui non eſt nobiſcum ; cum in aperto ſit plures ſenſus primarios æque a Spiritu S. intentos in S. Paginis non raro inveniri. Teſtimonium exhibetur in Pſalterio Pſal. 2. v. 7. , in quo vocabulum *hodie* triplicem ſenſum præſefert : *Ego hodie genui te* . 1. eſt dies æternitatis nocte carens , qua Pater Filium ſemper gignit; 2. dies , qua Verbum naturam humanam aſſumpſit ; 3. dies , qua Chriſtus redivivus e tumulo prodiit . De primo horum dierum exponitur allatus Davidis locus Hebr. I. 5. de altero Hebr. V. 5. de ultimo Actor. XIII. 33. Hoc ſolum ſufficit , ut alia , quæ afferri poſſent , inta-

Digitized by Google

tacta omittam. Omnes autem S. Canonis ſenſus, ſi attentius conſideremus, reduci poſſunt ad primariam diviſionem ſupra factam, nempe ad hiſtoricum ſeu litteralem, & ad ſpiritualem, id eſt Allegoricum, Anagogicum, Tropologicum vel Moralem; ut adeo neque ſenſus myſticus, neque vere accommodatitius excogitari poſſit præter aſſignatos tres fontes.

ſ. XIV.

Usus Hebraicæ Poeseos privatus. Specimen e Cantico Habacuc.

His præſidiis tanquam firmiſſimis propugnaculis obſepti, Hebraicæ Poeſeos uſum dividimus in intelligentiam, preces, & concionem. Triplex pariter exinde ſequetur commodum. Ex intelligentia S. Eloquiorum ingentem ſane delectationem oriri neceſſe eſt; preces cum intelligentia animum omnis ſucci prius expertem ſaluberrimo tum quaſi oleo perfundent; concio ex divino codice propoſita audientium animos a vitiorum via abſterrebit, ad virtutis ſemitam excitabit, expectatoſque fructus ceu fœcundiſſimum ſemen ubique progignet. Ex quibus ſponte ſua fluit ulterior hujus uſus diviſio in privatum & publicum. Pro utroque

Digitized by Google

que exempla afferemus. Privatæ pietatis ſpecimen ſit Canticum Habacuc, ſublimiſſimæ quidem Poeſeos, ſed ita remotæ, & ultra quotidianum loquendi morem elatæ, præſertim Europæorum, ut paſſim fateantur omnes, ſe in divino officio, quoties carmen hoc recitandum eſt, identidem cogi inſiſtere, & hæſitare. Recitabitur porro non mediocri ſolatio animi, ſi verus ex hebraico ſenſus litteralis pandatur, & animo conceptus retineatur.

יהוה שמעתי שמעך יראתי יהוה פעלך בקרב
שנים חייהו בקרב שנים תודיע ברגז רחם תזכור׃

V. 2. *Domine, audivi auditionem tuam, & timui; Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Latinæ conſuetudini id ſic aptamus: Domine, audivi ſermonem tuum, & expavi. Tempore a te conſtituto imple opus illud tuum: atque ita facies, cum dies a te electus advenerit, cum miſericordiæ tuæ recordaberis, etiamſi nunc iraſcaris.

אלוה מתימן יבוא וקדש מהר פארן סלה כסה
שמים הודו ותהלתו מלאה הארץ׃

V. 3. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan: operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra.* Deſcribitur hic Deus ut Im-

Imperator populum e captivitate educens, & exercitum ſuum præcedens, dum ab auſtrali regione in terram promiſſam legiones Judaicæ proficiſcuntur. Noſtrum *ab Auſtro* in hebraico eſt מתימן, quod Themanitidem ſeu Idumæam ſignificat, unde in Terram ſanctam pervenere. Hebræi per regionem deſertam montis Pharan deducti, cujus mentio in Pentateucho ſæpius iteratur. Poſt hoc *Pharan* in hebraico legitur *Sèla*, quod nota eſt pauſæ & veluti reſpirationis, ut meditationi prædictorum ſpatium relinquatur. In Pſalmis id occurrit ſæpius, extra illos nuſquam niſi in hoc ſolo Prophetæ Habacuc carmine. Senſus igitur verſiculi totius eſt; Deus ex plaga auſtrali cum populo ſuo venit a Themanitide ſeu Idumæa: Sanctus Sanctorum venit a regione Pharan montis. Implevit gloria ejus totum cœlum (per columnam nubis & ignis) & laudis ejus plena eſt terra.

ונגה כאור תהיה קרנים מידו לו ושם חביון עוה׃

V. 4. *Splendor ejus ut lux erit: cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Hebraica ad verbum ſic habent: Et ſplendor ut lux erit (i. e. fuit, ſenſu converſo, qui in hebraico, maxime ſtylo poetico, perpetuo uſurpatur) duo cornua in manu ejus ipſi, & ibi latibulum fortitudinis ejus. More latino: Splendor

dor ejus tanquam ſolis puriſſimi fuit: in manibus ejus erant duo cornua (de quibus mox verſu ſequente) quibus per ſecretum robur ſuum Chananæos hoſtes propulſaret, ac debellaret.

לפניו ילך דבר ויצא רשף לרגליו׃

V. 5. *Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.* Hebraice: Ante faciem ejus ibit peſtis, & egredietur pruna ad pedes ejus; i. e. quocunque pedes ejus tendent, quocunque ipſe incedet. Inſigne h. l. ἀνέκδοτον a Propheta ſuppletur, quod in hiſtoricis Bibliorum libris clare non continetur, videlicet DEUM Chananæis peſtem immiſiſſe, ut ſublatis hoſtibus non tantum populo ſuo ſpatium daretur, ſed etiam urbes & oppida jam parata, a filiis ſuis invenirentur. Quod ergo in Vulgata generatim duntaxat dicitur, *Mors*; id in hebraico fonte ſpeciatim proditur, & mortis genus indicatur; nimirum *Peſtis*. Noſtrum vero *Diabolus* in lingua primæva per tranſlationem nobiliſſimam exprimitur, & Satanas pruna appellatur. Aptiſſime profecto: id enim diaboli opus eſt, accendere omnia, & igne malo devorare. Atque hæc ſunt duo cornua (dualis enim eſt in hebraico) quæ DEUS inimicis incuſſit, peſtis ſtrages maximas edens, & diabolus in deſperationem ac ſtulta conſilia eoſ-

dem

dem impellens. Unde ſenſus fit: præceſſit illum mors peſte omnia devaſtans, & diabolus veluti pruna continenti incendio omnia conſumens.

עמד וימדד ארץ ראה ויתר גוים ויתפצצו הררי עד שחו גבעות עולם הליכות עולם לו׃

V. 6. *Stetit & menſus eſt terram: aſpexit & diſſolvit gentes: & contriti ſunt montes ſæculi: incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus*. Alluditur ad conſuetudinem veterum Imperatorum poſt victoriam, qua terram ſubactam dimetiri jubebant, terramque cum præda inter milites ſuos diſtribuebant. Montes ſunt Reges, colles ſunt Principes: dicit ergo Propheta, ſtetiſſe Dominum in Terra promiſſa, & inter 12. tribus partitum eſſe ſpatia ſoli ſubacti; ſolo aſpectu diſſolviſſe gentes, ac diſperſiſſe; contritos & incurvatos eſſe montes, & colles, i. e. ſummos quoſque Reges ac Principes, adveniente per iter ſuum Deo æterno.

תחת און ראיתי אהלי כושן ירגזון יריעות ארץ מדין׃

V. 7. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*. Tabernacula caſtrorum Madianiticorum pelles vocat, quia e pellibus conſtrui ſolita: propter iniquitatem ſuam, inquit, vidi diruta tentoria Æthiopum, & turbata tabernacula Madianitidis.

הבנהרים

הבנהרים חרה יהוה אם הנהרים אפך אם בים
עברתך כי תרכב על סוסיך מרכבתיך ישועה׃

V. 8. *Nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio*. Flumina, in quibus potentiam iræ ſuæ, & vindicandi robur oſtendit Dominus, ſunt Jordanis, & torrentes Arnon, de quibus torrentibus extat fragmentum carminis e libro Bellorum Domini, relatum a Moyſe Num. 21. v. 14. & ſequente. Tranſit ergo Poeta mira rapiditate, & Lyricis propria, ab Æthiopum, & Madianitarum clade ad Ægyptiorum, & Chananæorum exitium, dicitque: Nonne iram tuam, & furorem oſtendiſti Domine in fluminibus, Jordane diviſo, & torrentibus Arnon diſruptis? nonne indignationem tuam ſenſit, ac demonſtravit Mare Erythræum dehiſcens? dum tu veluti in quadrigis triumphans tranſiiſti, & in littus oppoſitum Mari Rubro, ac ripam Jordanis cum invicto tuorum exercitu evectus es ſalute parta.

עריה ׳תעור׳ קשתך שבעות מטות אמר סלה
נהרות תבקע ארץ׃

V. 9. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, juramenta tribubus, quæ locutus es: fluvios ſcindes terræ*. Hebraizantes ita vertunt: nuditate nu-

Digitized by Google

nudabitur arcus tuus, juramenta tribuum dicens. Quibus additur Sela. Noſter in Vulgata derivavit ab עור excitare, utrumque vocabulum, tam verbum, quam ſubſtantivum. Verbum primarium refertur ſimul ad arcum, & juramenta: ſupplendumque eſt relativum *quæ*, more Hebræorum, id frequenter omittentium. Scindere fluvios terræ non eſt, ut latinis lectoribus videri ſolet, in duas partes dividere fluvios; ſed terram ſcindere, & repentino miraculo ex ea fluvios elicere. Quapropter ſenſus evadit hujuſmodi: derepente & magna vi depromes arcum tuum, qui hucuſque veluti dormire, & quieſcere videbatur: ſimulque implebis multiplex jusjurandum, tanto tempore ſopitum, nunc vero excitandum, & præſtandum tribubus, quod antea dixeras. Scidiſti, o Deus, terram, & novos fontes inſtar fluviorum copioſiſſimos e petra ſcaturire juſſiſti.

ראוך יחילו הרים זרם מים עבר נתן תהום
קולו רום ידיהו נשא׃

V. 10. *Viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſiit. Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas levavit.* Inſignis hoc loco hebraiſmus occurrit, ſine cujus notitia obſcurus contextus eſt. *Manus* Hebræis dicuntur extremæ partes, quæ medium ſpatium, ut ma-

Digitized by Google

manus humanum corpus ambiunt, & intra ſe continent. Manus ergo altitudinis, i. e. profundi ſeu maris, ſunt fluctus utrinque elati & ſuſpenſi, cum Hebræorum cohortes per medias undas tranſirent. Unde ſenſus ita contexitur: viderunt tua prodigia & obſtupuerunt montes: gurges Jordanis inferior, intumeſcente ſuperiore, tranſiit, & aquas ſuas ad Mare Mortuum devolvit. Abyſſus maris rubri inſonuit, & ejus profundum utrinque fluctus ſuos elevavit.

שמש ירח עמד זבלה לאור חציך יהלכו לנגה
ברק חניתך׃

V. 11. *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ*. Tranſit hic Propheta ad illuſtrem Joſuæ victoriam, cujus una vox Solem & Lunam in eodem aſpectu defixit, Deo interim hoſtes perſequente, & in eos fulgura grandinemque permiſtis fulminibus jaciente: hæc enim Propheta ſplendidis Metaphoris ſagittarum lucentium, & fulgurantium haſtarum exornat. Sol inquit, & Luna in ſtatione ſua commorati ſunt: donec hoſtes cœleſtibus tuis armis perculſi, & victi fugerunt.

בזעם תצעד ארץ באף תדוש גוים׃

V. 12. *In fremitu conculcabis terram: in fu-*

Digitized by Google

furore obſtupefacies gentes. Hebraice תדוש גוים i. e. triturabis inſtar frumenti, quod more illorum temporum ferratis plauſtris ſubigebatur, & excutiebatur: quod mirifice declarat ſtratagema hoſtium, ita ſub victorum ferro concidentium, ut attollere ſe contra, & reſiſtere non poſſent. Dicit igitur Habacuc: In fremitu conculcabis terram, fremens nimirum ipſe, & in furore gentes attonitas comminuens & conterens.

יצאת לישע עמך לישע את משיחך מחצת ראש מבית רשע ערות יסוד עד צואר סלה׃

V. 13. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo; percuſſiſti caput de domo impii: denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum*. Locus hic quam ſublimis, tam obſcurus eſt. Sub Chriſto intelligere quidam volunt Sedeciam, ſed an ille ad ſalutem exiit, qui omnia perdidit? Quidam Cyrum: & ſub capite impii Nabuchodonoſorem; at ille non eſt egreſſus, hic facta ſemel pœnitentia in S. Paginis non legitur in nova eſſe prolapſus peccata, ut tali nomine poſſit commaculari. Rectius ergo alii de exitu Iſraelis ex Ægypto accipiunt, ubi ſub nomine *Chriſtus* vel Moyſes Spiritu divino unctus, vel Aaron, qui poſtea vere Pontifex eſt unctus, intelligitur. Caput de domo impii Pharao eſt, aut ejus filius primo loco genitus. Allegorice

impius eſt Satan ; caput de domo ejus Antichriſtus ; * Chriſtus , cum quo Deus in ſalutem populi egreditur , Dominus JESUS . Ita in hunc locum , uti ſemper , eruditiſſime Rabbi Debor .

נקבת במטיו ראש פרזו יסערו להפיצני עליצתם
כמו לאכל עני במסתר׃

V. 14. *Maledixiſti ſceptris ejus , capiti bellatorum ejus , venientibus ut turbo ad diſpergendum me : exultatio eorum ſicut ejus , qui devorat pauperem in abſcondito* . Pro noſtro voc bulo *bellatorum* hebraice פרזו , ſeu ut Keri monet פרזיו i. e. *robuſti ejus* . Tota ergo ſententia latino more ſic exponi poteſt : Maledixiſti ſceptris Pharaonis , ſeu Principibus , & Provinciis Ægypti, ac duci exercitus ejus robuſtiſſimi , qui inſtar turbinis veniebant ad me diſpergendum , & ita exultabant , ut qui pauperem clam devorat .

דרכת בים סוסיך חמר מים רבים׃

V. 15. *Viam feciſti in mari equis tuis , in luto aquarum multarum* . Inſiſtit allegoriæ militari , qua DEUM poetice proponit ceu Imperatorem curru quadrijugo vectum , & copias ſuas in adverſum littus educentem : Viam , inquit , feciſti equis tuis in medio mari , per ſolum ejus ab aquis copioſis lutoſum .

שמעתי

(*) Attenta lectione dignus eſt Tractatus de Anti-Chriſto Nicolai Oremii Epiſcopi Lexovienſis , Scriptoris Sæc. XIV. ; qui reperitur apud Martenne Vet. Script. Collect. Tom. 9.

Digitized by Google

שמעתי ותרגז בטני לקול צללו שפתי יבוא
רקב בעצמי ותחתי ארגז אשר אנוח ליום צרה
לעלות לעם יגודנו׃

V. 16. *Audivi , & conturbatus eſt venter meus : a voce contremuerunt labia mea . Ingrediatur putredo in oſſibus meis , & ſubter me ſcateat : ut requieſcam in die tribulationis , ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum .* Audivi , inquit , rediens ad principium ſui carminis , in quo timorem profeſſus , ac tantiſper ad glorioſas Majorum ſuorum victorias digreſſus , nunc eodem relabitur , ac juſtiſſimi timoris ſui cauſas exponit . Sub Moyſe , & Joſua feliciter populum ſuum deduxit Dominus: at nunc per me vaticinatur , derelicturum ſe gentem rebellem , & hoſtium (probabilius Chaldæorum) violentiæ traditurum . Hunc Dei ſermonem dum audit Propheta , viſcera ejus conturbantur , & labia contremiſcunt . Optat , ut mortuus oſſa putredini ante tradat , quam infelicem populi ſui ruinam ſuperſtes intueri cogatur . Sic enim expers doloris requieſceret in ſinu Abrahæ,tempore illo infauſto, & cum Majorum ſuorum ſpiritibus in Domino lætaretur . Populus *accinctus* hebraice eſt populus armatus:precatur ergo Habacuc,ut in tempore huic vitæ ereptus,& imminenti calamitati ſubductus,ad gentis ſuæ heroes

 Moy-

Moyſen, Joſuam, Calebum, Gedeonem, Jephtham, Samſonem, cæteroſque fortiſſimos Iſraelis duces ac milites avocetur.

כי תאנה לא תפרה ואין יבול בגפנים כחש מעשה
זית ושדמות לא עשה אכל נזר ממכלה צאן ואין
בקר ברפתים

V. 17. *Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum. Abſcindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præſepibus.* Hypotypoſi poetica deſcribit Habacuc vaſtationem patriæ ſuæ ab irruentibus hoſtibus inferendam. Enumerat ruris opes, ficum, vitem, oleam, ſegetes. Addit oves & armenta. In omnibus ſtragem prævidet, & vivida phraſi deplorat. Orientalis metaphoræ exemplum eſt *mentietur opus olivæ*, pro quo latinus diceret, oleæ ſpem fallent; ſcilicet ob incurſionem hoſtilem, quæ tollet omnia, & inter cætera etiam impenſam olivis operam fruſtrabitur. Locus ſimilis habetur in Oſea cap. 9. v. 2. ותירוש יכחש בה׃ *Vinum mentietur ei*: i. e. vinum deficiet. His cognitis בכזיב Gen. 38. 5. defendimus recte verti in Vulgata: *deſiit parere*, etſi Septuaginta & Chriſtiani hebraizantes paſſim de nomine loci interpretentur, dicantque uxorem Judæ Chananæam edidiſſe prolem tertiam, & ultimam in urbe

urbe aut oppido Chezir ſeu Chasbi. Verum defendi omnino poteſt, & debet Vulgata, cum vocabulum כזיב facillime deduci poſſit ab radice hebraica notiſſima כזב mentitus eſt, ita, ut ſignificet mendacium, & metaphorice quemlibet defectum. Fefellit ergo Chananæa uxor ſpem mariti Judæ, & parere deinceps deſiit: etſi hic pariendi *defectus* fortaſſe in ipſum potius Judam a Moyſe refertur, cum in Hebraico Nominativus היה ad virum referatur, non ad uxorem. Ad verbum diceres: *& fuit ipſe in defectu, dum pareret illa eum*, i. e. filium tertium. Latino more: defecerunt liberi Judæ, fefellit eum ulterioris fertilitatis ſpes, cum uxor Selam peperit. Sic etiam labori parcetur ædificandi novam urbem: quis enim uſquam urbem aut oppidum Cheziv, aut Chasbi vidit vel legit? Præſtat igitur fictum hunc locum prætermittere, & Vulgatæ potius adſtipulari, ne & ipſi בכזיב ſeu in mendacio deficiamus.

ואני ביהוה אעלוזה אגילה באלהי ישעי

V. 18. *Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in Deo JESU meo*. Hebraice, in Deo ſalutis meæ. באלהי ישעי Senſus litteralis de Deo ſeu Divina Natura, unde omnis ſalus in homines emanat. Senſus Allegoricus de Chriſto ſalutis Reparatore. Optime tamen in Vulgata re-

tine

tinetur nomen hebraicum, & dicitur *in Deo JESU meo*, ut illud nomen legentibus potiſſimum proponatur, *quod eſt nobis amicius, & dulcius nominare*, uti de hoc loco S. P. Auguſtinus animadvertit Lib. 18 de civ. D. c 32 Puris hominibus nomen hoc *JESU*, *& Salvatoris mundi*, in Lege antiqua aſſignatum legimus præcipue duobus. *Jehoſchya* quidem, præter unum & alterum minus celebrem, Imperator Joſue dictus eſt, nobiliſſimo myſterio, quippe qui poſt Moyſis Legiſlatoris mortem in terram promiſſam populum introduxerit: ſicut deinde JESUS Redemptor, extincta lege, quæ ad coeleſtem patriam perducere hominem non poterat, in eam nobis viam aditumque aperuit. *Salvator* autem *mundi* Gen. 41. v. 45. dicitur Joſeph Ægypti Prorex, illuſtris & ipſe typus Chriſti, qui frumentum electum, & Panem Dominicum nobis in Sacroſancta Euchariſtia præbet, & a Patre divino toti ejus imperio cum ſumma poteſtate præpoſitus eſt. Errorem tamen Vulgatæ objiciunt, qui eam authentiam non agnoſcunt. Negant enim Joſephi titulum ſeu nomen a Pharaone ipſi impoſitum צפנת פענח ullo modo ſignificare Salvatorem mundi. Profecto non levis eſt in hoc loco difficultas, interpretibus aliis alio abeuntibus. Dicta vocabula multi hebraica opinati ſunt, quod tamen ne-

neque ſatis veriſimile in hiſtoria eſt, neque cum linguæ ſanctæ proprietate conſentit. Multo rectius Athanaſius Kircherus ea verba eſſe Coptica ſeu Ægyptiaca affirmavit, & in Prodromo Copto c. 5. multis demonſtravit: quem ſi Renaudatus legiſſet, nunquam negaſſet Septuaginta Interpretum Ψοντομφανεχ in lingua Coptica reperiri, nec eandem opinionem ampliſſimo Calmeto perſuaſiſſent. Verum titulus hic Copticus Salvatorem mundi non ſignificat, ſed revelantem arcana: in qua explicatione etiam hebraizantes cum Coptis conveniunt. Ex quo etſi confici videatur, Vulgatam ab utraque lingua deſtitui, nobis tamen ratio nequaquam deeſt, eam ab errore liberam & immunem aſſerendi.

יהוה אדני חילי וישם רגלי כאילות ועל במותי
ידרכני למנצח בנגינותי׃

V. 19. *Deus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi cervorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem. Excelſa mea* ſunt montes Judææ, de quibus Propheta ipſe:

ועל במותי ידרכני למנצח בנגינותי׃

Poſtrema hæc duo vocabula in Pſalmis celebria ſunt, & ab aliis aliter exponuntur. למנצח vulgo *in finem* interpretantur: quod ex hebraico *Victori*, ſeu *Præfecto*, nimirum Muſices, interpretandum cenſemus. נגינות autem ſunt carmi-

na comitante aliquo inſtrumento Muſico. Cum toto igitur Cantico verſiculus ultimus ita conſentit, felicem gentis ſuæ reparationem poſt ruinas vaticinans. Deus Dominus fortitudo mea, & populi mei: ille pedes noſtros in reditu e captivitate Babylonica confirmabit tanquam cervorum aut cervarum: ille me (totius enim gentis ſuæ nomine loquitur Propheta) deducet ſuper patriæ meæ montes: cui ego viciſſim, ut glorioſo victori, Epinicium modulabor. Canticum hoc totum ad Chriſtum gentis humanæ Liberatorem, & hoſtes in cruce vincentem transferre non erit difficile in ſenſu allegorico, poſtquam litteralis ad liquidum perceptus eſt.

§. XV.

Usus Poeseos Sanctæ publicus. Specimen e Cantico: Magnificat.

AB uſu privato ad publicum tranſeo, qui in ſacra eloquentia occurrit, cum ad populum in concione dicendum eſt. Specimen, quoniam ex hebraico paulo ante datum eſt, nunc e ſyriaco petamus, e Cantico nimirum *Magnificat*, quod contra Joannem Gerſonem, qui proprio tractatu hoc divinum carmen perſecutus

tus eſt, omnia alia magis attendens, quam linguas primævas, a Virgine Prophetide ſyriaco ſermone pronunciatum, ſicuti etiam nunc in Bibliis Polyglottis, & omnibus Novi Teſtamenti editionibus ſyriacis extat, defendimus. Catena concionum e decem Cantici verſibus in decem conciones parthenias, ſive feſtorum, ſive menſium, pro cœtibus partheniis ſit.

Verſ. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Syriace anima mea & apud S. Lucam *ἡ ψυχή μου*, ſyriſmus eſt ex hebraiſmo transfuſus, cujus plurima in lege veteri, & non nulla in lege nova exempla extant: uti Gen. 27. 4. *Benedicat tibi anima mea.* Gen. 19. 20. *Vivet anima mea.* Pſal. 77. 18. *Tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis.* Ad Hebr. 10. 38. *ἐὰν ὑποστείληται (δίκαιος) οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ.* Et alibi. Verus igitur ac proprius ſenſus eſt: Magnifico ego Dominum. Qua vero ratione magnificare homo Deum poſſit, cujus infinita cum ſit magnitudo, incrementum capere nullum poteſt? duo ſunt modi, quibus id intelligere licet: ſi Dei magnitudinem ex ejus beneficiis metiamur, & prædicemus: ſi parvitatem noſtram coram ipſo agnoſcentes, eum extollamus.

Propoſitio. Ex meris hominibus nemo Deum magis, quam divina Parens magnificavit. 1.

Quia

Quia nemo magis magnitudinem divinam ex acceptis majoribus beneficiis prædicavit. 2. Quia nemo ſe magis coram Deo, & majore ex faſtigio demiſit.

V. 2. Latine & græce eſt: *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Quod aliqui voces *anima mea & ſpiritus meus* ſubtiliter inter ſe dividant, ac opponant, animam appellantes partem animi naturalem, ſpiritum vero ſupernaturalem; acutius eſt, quam ſolidius. Naturalis Orientalium ſtylus ab hoc genere explicationum longe diſſidet, *& ſpiritus meus* haud ſecus ac in priore verſu *anima mea*, ſimpliciter ſignificat: Ego. Verba ſyriaca ad litteram ſic ſunt interpretanda: *Et gaviſus eſt ſpiritus meus*, i. e. Ego gaviſa ſum, *in Deo vivificante me*. Exultat Maria in *Deo ſalutari*, gaudet in *vivificante ſe*. Vita animæ a Chriſto tribuitur per gratiam, dum in via ſumus; ſalus, cum ad patriam pertingimus. *Propoſitio*. Cauſa noſtræ lætitiæ, & exemplum eſt Maria. 1. Propter Deum vivificantem nos. 2. Propter Deum ſalvantem nos.

V. 3. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Quæri hic ſolet, humilitatem an Virgo ſancta intelligat de ſua tenuitate ſeu exiguitate, an

an de virtute modeſtiæ, quam chriſtiano vocabulo *humilitatem* appellamus. Ad fontes eundum eſt, ut in re omni ambigua. Græcum vocabulum ταπείνωσιν utrovis trahi poteſt. Sed ſyriacum במוככא clariſſime ſignificat tenuitatem non ſolum in hac lingua, ſed etiam in radice hebraica: nam & hebræis מכך & מוך paupertatem ac tenuitatem indicant. Quod & rationi multo magis conſentaneum eſt in Virgine modeſtiſſima, ut non virtutem humilitatis prædicare de ſe, ſed potius exiguitatem ſuam objicere, & nihili facere voluiſſe cenſenda ſit. Itaque in hoc ipſo verſiones antiquiſſimæ, gallica, italica, hiſpanica, anglica, omneſque hoc loco parvitatem, paupertatem, locum infimum, verbo humilitatem latino prorſus ſenſu acceptam repræſentant: quibus & germanicæ emendatiſſimæ accedunt.

Occaſio effundendæ eruditionis Eccleſiaſticæ per omnia ſæcula, & per omnes gentes: utrumque enim per *omnes generationes* intelligi poteſt. *Prop.* Gloria Beatiſſimæ, per omnia tempora, omneſque gentes. 1. Omnia ſæcula, omneſque populi admirantur *humilitatem ancillæ*. 2. Omnia ſæcula & omnes poupli ſentiunt potentiam Dominæ, *& beatam dicunt*.

V. 4. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* Significantius in græco di-

co dicitur μεγαλεια, & in ſyriaco magnifica, magnalia; ut & *potens* magis per ſyriacum exprimitur. Illud etiam obſervatu dignum, quod pro dativo *mihi* & græco μοι ſyriaca habent *apud me*; ſcilicet in me, intra me: per quod indicatur arcaniſſimum Incarnationis myſterium. Duo igitur ſunt, per quæ ſummam Deus potentiam in Maria benedicta oſtendit, intra illam, & extra illam. Intra illam per Filii Incarnationem; extra illam per ſui nominis ſanctificationem. *Prop.* In nulla creatura pura potentiam ſuam magis declaravit Omnipotens, quam in Maria. 1. Non potuit in creatura pura ſublimius aliquid operari, quam Incarnationem Verbi, quod Deus eſt. 2. Non potuit per creaturam puram magis ſanctificare nomen ſuum, quam per Filium, qui Deus eſt.

V. 5. *Et miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Jucundiſſima quidem eſt, quæ nobis hic nunciatur *miſericordia*: ſed ſollicitos facit adjecta conditio, *timentibus eum*. *Prop.* Regnum divinæ miſericordiæ in Dei Matre. 1. Per illam Deus miſericordiam tamdiu promiſſam implevit; ſed profuturam tantum *timentibus eum*. 2. Per illam Deus miſericordiam tamdiu exſpectatam nobis impertiet; ſed obventuram tantum *timentibus eum*.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*. Non deſunt, qui interpretantur *mente cordis ſui*, de divinæ mentis conſilio, quæ rationes caſtigandæ ſuperbiæ in numerato habet: & ſi latina ſola reſpiciamus, eſt id vere ambiguum: cum verba illa *mente cordis ſui* tam ad ipſum Deum, quam ad ſuperbos referri poſſe videantur. Sed accidit hic, quod millies alibi, ut, quæ latina ſunt ambigua, illuſtrentur protinus, ubi ad primævas linguas recurritur, ſine quibus perſæpe falſitas pro veritate obrepit. In græco igitur, & ſyriaco, apertiſſime patet, ſenſum *cordis ſui*, non cor divinum, ſed ſuperbum cor humanum eſſe: eſt enim *cor eorum*, non *ejus*: *καρδίας αὐτῶν* & דלבהון Brachium divini Patris ex mente SS. Eccleſiæ Doctorum eſt Filius divinus. Potentiam in hoc ſuo brachio oſtendit maxime, dum rebelles ſibi ſpiritus in Chriſto vicit, & omnes eorum clientes toto orbe contra ſe fœderatos profligavit, ac debellavit. *Prop.* Virgo potens, caſtrorum acies ordinata. 1. Diſperſit per filium ſuperbos dæmones, & nos ad eandem victoriam juvat. 2. Diſperſit per eundem ſuperbas gentes dæmonibus ſervientes, & nos ad eandem ſuperbiam in nobis vincendam corroborat.

V. 7. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit hu-*

humiles. In græco & ſyriaco habetur *de thronis: humiles* autem ex eadem radice in ſyriaco deducitur, quam ſupra verſ. 3. indicavimus: ut proinde non virtutem eorum ſignificet, qui potentibus in throno ſuccedunt, ſed tenuitatem, & abjectam vitæ conditionem. Ad hoc tamen litterali ſenſu ad tropologicum facilis & plana eſt via. Beatiſſimæ, ſedi ſapientiæ, ipſa Eccleſia tribuit illud elogium nobiliſſimum Sapientiæ increatæ Eccleſiaſtici 24. ubi inter alia v. 11. dicitur: *omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi*. *Prop.* Virgo ſapiens fortunam regit excellentium & humilium. 1. Ipſa enim Deum precatur, ut excellentes excellentia abutentes deprimat. 2. Ipſa Deum precatur, ut humiles humilitatem agnoſcentes extollat.

V. 8. *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*. Eſurientes ab interpretibus intelligiuntur Iſraelitæ, quos Deus implevit bonis, dum in terram lacte & melle manantem introduxit, ex eaque Chananæos ingratos ejecit. *Prop.* Virgo Mater eſt terra promiſſa, terra ſancta. 1. Fructus terræ hujus beatiſſimæ dantur eſurientibus, i. e. deſiderantibus. 2. Subducuntur ingratis, i. e. male utentibus.

V. 9. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ*. In duas hic ſententias diſcedunt

dunt interpretes, quorum alii cum Euthymio locum ſic exponunt: Auxiliatus eſt Iſraeli puero ſuo, ut recordaretur miſericordiæ ſuæ. Alii ſimplicius, & ad Vulgatæ mentem accommodatius: Ideo ſuſcepit Iſraelem, naturam humanam ex hac gente aſſumendo, quia miſericordiæ & promiſſi fœderis recordatus eſt. Syriacum utrinque trahi poteſt: adjuvit Iſroiel ſervum ſuum, & recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: Vav illud ante verbum דכר non tantum particulam latinam *&*, ſed ſæpe etiam *quia* ſignificat. *Prop.* Maria eſt unio Dei & hominis: 1. Per ipſam ſuſcepit Deus naturam noſtram, quia recordatus eſt miſericordiæ antiquæ. 2. Per ipſam impertivit Deus miſericordiam novam, quia ſuſcepit naturam noſtram.

V. 10. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini ejus in ſæcula.* In græco & latino Abraham, ejuſque poſteritas, dativo caſu efferuntur, per quod diſcrepant a præcedentibus *ad Patres noſtros*: quo circa parentheſi opus eſſe non pauci cenſuerunt. At in ſyriaco plana ſunt omnia & æqualia, cum ter repetatur particula עם *cum*. Locutus eſt, promiſit firmiter; nam מַלֵּל eſt in forma *Pael* ſignificante intenſionem; cum Patribus noſtris, cum Abraham, & cum ſemine ejus. Sicut Abrahamo,

Pſalterii auctor ſit, an alii quoque in ejuſdem libri & laudis partem veniant. Utrius ſententiæ patroni ſint potiores, longum foret hic diſputare, imo & invidioſum. Ratione autem ſi agendum eſt, vel potius quia agendum eſt, argumenta hæc proferuntur. Qui ſoli Davidi univerſum Pſalterii librum vendicant, his fundamentis nituntur,

I Certum eſt ex Act. cap 4. v. 25. & ad Hebr. 4. v. 7. Pſalmum ſecundum & nonageſimum quartum, hebr. 95., eſſe auctoris Davidis, etiamſi in hebraico nomen ejus in titulo non præferant: ergo & reliqui Pſalmi ejuſdem eſſe poſſunt, etſi nomen ejus in titulo non exprimatur. Sed argumentum hoc nequaquam efficit, quod ſolius Davidis Patroni quærunt. Nam primum, quod eſſe poteſt, non ideo ſemper eſt. Deinde multi ſunt Pſalmi, qui Davidis ne quidem poſſunt eſſe, cum non ſint ἀνεπιγραφοι, ſed aliorum auctorum nomina in titulis præſcripta habeant: de quo paulo poſt. Interim contrarium potius ex hac ratione elicitur. Quis enim Pſalmum 2. & 94. hebr. 95. tribuere Davidi auderet, niſi novum Teſtamentum eos Prophetæ Regio vindicaret? Ergo ubi novum Teſtamentum ſilet, hoc ipſo nullus nobis judicandi locus relictus eſt.

II. Georgius Heſerus inclytus Pſalmorum in-

interpres hoc argumento movetur, quod a ſe inventum maximi ipſe facit: ſi Chriſtus & Apoſtoli nullum alium auctorem Pſalmorum nominant præter Davidem, nullus alius fuit: atqui nullum alium præter Davidem nominatum legimus: itaque penes Davidem ſola Pſalterii gloria relinquenda eſt. Sed hæc argumentandi ratio ſi ſufficit, expungendi ſunt e canonicorum librorum catalogo omnes illi, quorum Chriſtus & Apoſtoli nominatim non meminere. Proinde divinæ Paginæ Sophonias, Baruch, & Abdias inter Prophetas, Eccleſiaſtes & Cantica inter Sapientiales; liber Judicum, Tobias, Eſther, Ruth, ac Judith inter Hiſtoricos adimendi forent. Quod cum nefas ſit cogitare, manifeſtum fit, certos quidem eſſe auctores, quos Chriſtus & Apoſtoli nominatim prodiderunt; non tamen ideo excludi eos, quos tacuerunt.

III. David 2. Samuelis 23. v. 1. dicitur *egregius Pſaltes Iſrael*, & 2. Paralip.7. v.6. narratur, cantata eſſe a Levitis carmina, *quæ fecit David*. Idemque repetitur 1. Eſdræ 3. v. 10., & 2. Eſdræ 12. v. 35. Equidem fuiſſe egregium Pſalten ſummopere & ego contendo; ſolum fuiſſe Pſalten, neque Samuelis libri, neque Paralipomena, aut Eſdras uſquam affirmant. Narrat & illud Scriptura de Davide, paſtori-

Moyſen, Joſuam, Calebum, Gedeonem, Jephtham, Samſonem, cæteroſque fortiſſimos Iſraelis duces ac milites avocetur.

כי תאנה לא תפרח ואין יבול בגפנים כחש מעשה זית ושדמות לא עשה אכל נזר ממכלה צאן ואין בקר ברפתים

V. 17. *Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum. Abſcindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præſepibus.* Hypotypoſi poetica deſcribit Habacuc vaſtationem patriæ ſuæ ab irruentibus hoſtibus inferendam. Enumerat ruris opes, ficum, vitem, oleam, ſegetes. Addit oves & armenta. In omnibus ſtragem prævidet, & vivida phraſi deplorat. Orientalis metaphoræ exemplum eſt *mentietur opus olivæ*, pro quo latinus diceret, oleæ ſpem fallent; ſcilicet ob incurſionem hoſtilem, quæ tollet omnia, & inter cætera etiam impenſam olivis operam fruſtrabitur. Locus ſimilis habetur in Oſea cap. 9. v. 2. ותירוש יכחש בה׃ *Vinum mentietur ei*: i. e. vinum deficiet. His cognitis בכזיב Gen. 38. 5. defendimus recte verti in Vulgata: *deſiit parere*, etſi Septuaginta & Chriſtiani hebraizantes paſſim de nomine loci interpretentur, dicantque uxorem Judæ Chananæam edidiſſe prolem tertiam, & ultimam in urbe

Digitized by Google

urbe aut oppido Cheziv ſeu Chasbi. Verum defendi omnino poteſt, & debet Vulgata, cum vocabulum בכזיב facillime deduci poſſit ab radice hebraica notiſſima כזב mentitus eſt, ita, ut ſignificet mendacium, & metaphorice quemlibet defectum. Fefellit ergo Chananæa uxor ſpem mariti Judæ, & parere deinceps deſiit: etſi hic pariendi *defectus* fortaſſe in ipſum potius Judam a Moyſe refertur, cum in Hebraico Nominativus היה ad virum referatur, non ad uxorem. Ad verbum diceres: *& fuit ipſe in defectu, dum pareret illa eum,* i. e. filium tertium. Latino more: defecerunt liberi Judæ, fefellit eum ulterioris fertilitatis ſpes, cum uxor Selam peperit. Sic etiam labori parcetur ædificandi novam urbem: quis enim uſquam urbem aut oppidum Cheziv, aut Chasbi vidit vel legit? Præſtat igitur fictum hunc locum prætermittere, & Vulgatæ potius adſtipulari, ne & ipſi בכזיב ſeu in mendacio deficiamus.

ואני ביהוה אעלוזה אגילה באלהי ישעי׃

V. 18. *Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in Deo JESU meo.* Hebraice, in Deo ſalutis meæ. באלהי ישעי Senſus litteralis de Deo ſeu Divina Natura, unde omnis ſalus in homines emanat. Senſus Allegoricus de Chriſto ſalutis Reparatore. Optime tamen in Vulgata re-

tinetur nomen hebraicum, & dicitur *in Deo JESU meo*, ut illud nomen legentibus potiſſimum proponatur, *quod eſt nobis amicius, & dulcius nominare*, uti de hoc loco S. P. Auguſtinus animadvertit Lib. 18 de civ. D. c 32 Puris hominibus nomen hoc *JESU*, *& Salvatoris mundi*, in Lege antiqua aſſignatum legimus præcipue duobus. *Jehoſchya* quidem, præter unum & alterum minus celebrem, Imperator Joſue dictus eſt, nobiliſſimo myſterio, quippe qui poſt Moyſis Legiſlatoris mortem in terram promiſſam populum introduxerit: ſicut deinde JESUS Redemptor, extincta lege, quæ ad cœleſtem patriam perducere hominem non poterat, in eam nobis viam aditumque aperuit. *Salvator* autem *mundi* Gen. 41. v. 45. dicitur Joſeph Ægypti Prorex, illuſtris & ipſe typus Chriſti, qui frumentum electum, & Panem Dominicum nobis in Sacroſancta Euchariſtia præbet, & a Patre divino toti ejus imperio cum ſumma poteſtate præpoſitus eſt. Errorem tamen Vulgatæ objiciunt, qui eam authentiam non agnoſcunt. Negant enim Joſephi titulum ſeu nomen a Pharaone ipſi impoſitum צפנת פענח ullo modo ſignificare Salvatorem mundi. Profecto non levis eſt in hoc loco difficultas, interpretibus aliis alio abeuntibus. Dicta vocabula multi hebraica opinati ſunt, quod tamen ne-

neque ſatis veriſimile in hiſtoria eſt, neque cum linguæ ſanctæ proprietate conſentit. Multo rectius Athanaſius Kircherus ea verba eſſe Coptica ſeu Ægyptiaca affirmavit, & in Prodromo Copto c. 5. multis demonſtravit: quem ſi Renaudatus legiſſet, nunquam negaſſet Septuaginta Interpretum Ψοντομφανεχ in lingua Coptica reperiri, nec eandem opinionem ampliſſimo Calmeto perſuaſiſſent. Verum titulus hic Copticus Salvatorem mundi non ſignificat, ſed revelantem arcana: in qua explicatione etiam hebraizantes cum Coptis conveniunt. Ex quo etſi confici videatur, Vulgatam ab utraque lingua deſtitui, nobis tamen ratio nequaquam deeſt, eam ab errore liberam & immunem aſſerendi.

יהוה אדני חילי וישם רגלי כאילות ועל במתי
ידרכני למנצח בנגינותי׃

V. 19. *Deus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi cervorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.* *Excelſa mea* ſunt montes Judææ, de quibus Propheta ipſe:

ועל במתי ידרכני למנצח בנגינותי׃

Poſtrema hæc duo vocabula in Pſalmis celebria ſunt, & ab aliis aliter exponuntur. למנצח vulgo *in finem* interpretantur: quod ex hebraico *Victori*, ſeu *Præfecto*, nimirum Muſices, interpretandum cenſemus. בינות autem ſunt carmi-

na comitante aliquo inſtrumento Muſico. Cum toto igitur Cantico verſiculus ultimus ita conſentit, felicem gentis ſuæ reparationem poſt ruinas vaticinans. Deus Dominus fortitudo mea, & populi mei: ille pedes noſtros in reditu e captivitate Babylonica confirmabit tanquam cervorum aut cervarum: ille me (totius enim gentis ſuæ nomine loquitur Propheta) deducet ſuper patriæ meæ montes: cui ego viciſſim, ut glorioſo victori, Epinicium modulabor. Canticum hoc totum ad Chriſtum gentis humanæ Liberatorem, & hoſtes in cruce vincentem transferre non erit difficile in ſenſu allegorico, poſtquam litteralis ad liquidum perceptus eſt.

§. XV.

Usus Poeseos Sanctæ publicus. Specimen e Cantico: Magnificat.

AB uſu privato ad publicum tranſeo, qui in ſacra eloquentia occurrit, cum ad populum in concione dicendum eſt. Specimen, quoniam ex hebraico paulo ante datum eſt, nunc e ſyriaco petamus, e Cantico nimirum *Magnificat*, quod contra Joannem Gerſonem, qui proprio tractatu hoc divinum carmen perſecu-

tus

tus eſt, omnia alia magis attendens, quam linguas primævas, a Virgine Prophetide ſyriaco ſermone pronunciatum, ſicuti etiam nunc in Bibliis Polyglottis, & omnibus Novi Teſtamenti editionibus ſyriacis extat, defendimus. Catena concionum e decem Cantici verſibus in decem conciones parthenias, ſive feſtorum, ſive menſium, pro cœtibus partheniis ſit.

Verſ. 1. *Magnificat anima mea Dominum*. Syriace anima mea & apud S. Lucam ἡ ψυχή μου, ſyriſmus eſt ex hebraiſmo transfuſus, cujus plurima in lege veteri, & non nulla in lege nova exempla extant: uti Gen. 27. 4. *Benedicat tibi anima mea*. Gen. 19. 20. *Vivet anima mea*. Pſal. 77. 18. *Tentaverunt Deum in cordibus ſuis, ut peterent eſcas animabus ſuis*. Ad Hebr. 10. 38. ἐὰν ὑποστείληται (δίκαιος) οὐκ εὐδοκεῖ; ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. Et alibi. Verus igitur ac proprius ſenſus eſt: Magnifico ego Dominum. Qua vero ratione magnificare homo Deum poſſit, cujus infinita cum ſit magnitudo, incrementum capere nullum poteſt? duo ſunt modi, quibus id intelligere licet: ſi Dei magnitudinem ex ejus beneficiis metiamur, & prædicemus: ſi parvitatem noſtram coram ipſo agnoſcentes, eum extollamus.

Propoſitio. Ex meris hominibus nemo Deum magis, quam divina Parens magnificavit. 1.

Quia

Quia nemo magis magnitudinem divinam ex acceptis majoribus beneficiis prædicavit . 2. Quia nemo ſe magis coram Deo , & majore ex faſtigio demiſit .

V. 2. Latine & græce eſt: *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo* . Quod aliqui voces *anima mea & ſpiritus meus* ſubtiliter inter ſe dividant , ac opponant , animam appellantes partem animi naturalem , ſpiritum vero ſupernaturalem ; acutius eſt , quam ſolidius . Naturalis Orientalium ſtylus ab hoc genere explicationum longe diſſidet , *& ſpiritus meus* haud ſecus ac in priore verſu *anima mea* , ſimpliciter ſignificat: Ego . Verba ſyriaca ad litteram ſic ſunt interpretanda : *Et gaviſus eſt ſpiritus meus* , i. e. Ego gaviſa ſum , *in Deo vivificante me* . Exultat Maria in *Deo ſalutari* , gaudet in *vivificante ſe* . Vita animæ a Chriſto tribuitur per gratiam, dum in via ſumus ; ſalus , cum ad patriam pertingimus . *Propoſitio* . Cauſa noſtræ lætitiæ, & exemplum eſt Maria . 1. Propter Deum vivificantem nos . 2. Propter Deum ſalvantem nos.

V. 3. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* . Quæri hic ſolet, humilitatem an Virgo ſancta intelligat de ſua tenuitate ſeu exiguitate, an

Digitized by Google

an de virtute modeſtiæ, quam chriſtiano vocabulo *humilitatem* appellamus. Ad fontes eundum eſt, ut in re omni ambigua. Græcum vocabulum ταπείνωσιν utrovis trahi poteſt. Sed ſyriacum במוככא clariſſime ſignificat tenuitatem non ſolum in hac lingua, ſed etiam in radice hebraica: nam & hebræis מכך & מוך paupertatem ac tenuitatem indicant. Quod & rationi multo magis conſentaneum eſt in Virgine modeſtiſſima, ut non virtutem humilitatis prædicare de ſe, ſed potius exiguitatem ſuam objicere, & nihili facere voluiſſe cenſenda ſit. Itaque in hoc ipſo verſiones antiquiſſimæ, gallica, italica, hiſpanica, anglica, omneſque hoc loco parvitatem, paupertatem, locum infimum, verbo humilitatem latino prorſus ſenſu acceptam repræſentant: quibus & germanicæ emendatiſſimæ accedunt.

Occaſio effundendæ eruditionis Eccleſiaſticæ per omnia ſæcula, & per omnes gentes: utrumque enim per *omnes generationes* intelligi poteſt. *Prop.* Gloria Beatiſſimæ, per omnia tempora, omneſque gentes. 1. Omnia ſæcula, omneſque populi admirantur *humilitatem ancillæ*. 2. Omnia ſæcula & omnes poupli ſentiunt potentiam Dominæ, *& beatam dicunt*.

V. 4. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus*. Significantius in græco di-

co dicitur μεγαλεια, & in ſyriaco magnifica, magnalia; ut & *potens* magis per ſyriacum exprimitur. Illud etiam obſervatu dignum, quod pro dativo *mihi* & græco μοι ſyriaca habent *apud me*; ſcilicet in me, intra me: per quod indicatur arcaniſſimum Incarnationis myſterium. Duo igitur ſunt, per quæ ſummam Deus potentiam in Maria benedicta oſtendit, intra illam, & extra illam. Intra illam per Filii Incarnationem; extra illam per ſui nominis ſanctificationem. *Prop.* In nulla creatura pura potentiam ſuam magis declaravit Omnipotens, quam in Maria. 1. Non potuit in creatura pura ſublimius aliquid operari, quam Incarnationem Verbi, quod Deus eſt. 2. Non potuit per creaturam puram magis ſanctificare nomen ſuum, quam per Filium, qui Deus eſt.

V. 5. *Et miſericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.* Jucundiſſima quidem eſt, quæ nobis hic nunciatur *miſericordia*: ſed ſollicitos facit adjecta conditio, *timentibus eum*. *Prop.* Regnum divinæ miſericordiæ in Dei Matre. 1. Per illam Deus miſericordiam tamdiu promiſſam implevit; ſed profuturam tantum *timentibus eum*. 2. Per illam Deus miſericordiam tamdiu exſpectatam nobis impertiet; ſed obventuram tantum *timentibus eum*.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*. Non deſunt, qui interpretantur *mente cordis ſui*, de divinæ mentis conſilio, quæ rationes caſtigandæ ſuperbiæ in numerato habet: & ſi latina ſola reſpiciamus, eſt id vere ambiguum: cum verba illa *mente cordis ſui* tam ad ipſum Deum, quam ad ſuperbos referri poſſe videantur. Sed accidit hic, quod millies alibi, ut, quæ latina ſunt ambigua, illuſtrentur protinus, ubi ad primævas linguas recurritur, ſine quibus perſæpe falſitas pro veritate obrepit. In græco igitur, & ſyriaco, apertiſſime patet, ſenſum *cordis ſui*, non cor divinum, ſed ſuperbum cor humanum eſſe: eſt enim *cor eorum*, non *ejus*: *καρδίας αὐτῶν* & דלבהון Brachium divini Patris ex mente SS. Eccleſiæ Doctorum eſt Filius divinus. Potentiam in hoc ſuo brachio oſtendit maxime, dum rebelles ſibi ſpiritus in Chriſto vicit, & omnes eorum clientes toto orbe contra ſe fœderatos profligavit, ac debellavit. *Prop.* Virgo potens, caſtrorum acies ordinata. 1. Diſperſit per filium ſuperbos dæmones, & nos ad eandem victoriam juvat. 2. Diſperſit per eundem ſuperbas gentes dæmonibus ſervientes, & nos ad eandem ſuperbiam in nobis vincendam corroborat.

V. 7. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit hu-*

humiles. In græco & ſyriaco habetur *de thronis: humiles* autem ex eadem radice in ſyriaco deducitur, quam ſupra verſ. 3. indicavimus: ut proinde non virtutem eorum ſignificet, qui potentibus in throno ſuccedunt, ſed tenuitatem, & abjectam vitæ conditionem. Ad hoc tamen litterali ſenſu ad tropologicum facilis & plana eſt via. Beatiſſimæ, ſedi ſapientiæ, ipſa Eccleſia tribuit illud elogium nobiliſſimum Sapientiæ increatæ Eccleſiaſtici 24. ubi inter alia v. 11. dicitur: *omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi*. *Prop.* Virgo ſapiens fortunam regit excellentium & humilium. 1. Ipſa enim Deum precatur, ut excellentes excellentia abutentes deprimat. 2. Ipſa Deum precatur, ut humiles humilitatem agnoſcentes extollat.

V. 8. *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*. Eſurientes ab interpretibus intelliguntur Iſraelitæ, quos Deus implevit bonis, dum in terram lacte & melle manantem introduxit, ex eaque Chananæos ingratos ejecit. *Prop.* Virgo Mater eſt terra promiſſa, terra ſancta. 1. Fructus terræ hujus beatiſſimæ dantur eſurientibus, i. e. deſiderantibus. 2. Subducuntur ingratis, i. e. male utentibus.

V. 9. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ*. In duas hic ſententias diſcedunt

Digitized by Google

dunt interpretes, quorum alii cum Euthymio locum ſic exponunt: Auxiliatus eſt Iſraeli puero ſuo, ut recordaretur miſericordiæ ſuæ. Alii ſimplicius, & ad Vulgatæ mentem accommodatius: Ideo ſuſcepit Iſraelem, naturam humanam ex hac gente aſſumendo, quia miſericordiæ & promiſſi fœderis recordatus eſt. Syriacum utrinque trahi poteſt: adjuvit Iſroiel ſervum ſuum, & recordatus eſt miſericordiæ ſuæ. Vav illud ante verbum דכר non tantum particulam latinam *&*, ſed ſæpe etiam *quia* ſignificat. *Prop.* Maria eſt unio Dei & hominis: 1. Per ipſam ſuſcepit Deus naturam noſtram, quia recordatus eſt miſericordiæ antiquæ. 2. Per ipſam impertivit Deus miſericordiam novam, quia ſuſcepit naturam noſtram.

V. 10. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini ejus in ſæcula.* In græco & latino Abraham, ejuſque poſteritas, dativo caſu efferuntur, per quod diſcrepant a præcedentibus *ad Patres noſtros*: quo circa parentheſi opus eſſe non pauci cenſuerunt. At in ſyriaco plana ſunt omnia & æqualia, cum ter repetatur particula עם *cum*. Locutus eſt, promiſit firmiter; nam דְּמַלֵּל eſt in forma *Pael* ſignificante intenſionem; cum Patribus noſtris, cum Abraham, & cum ſemine ejus. Sicut Abrahamo,

mo, aliiſque ante, & poſt ipſum Patribus, Liberatorem Meſſiam promiſit, ita & Matrem præmonſtravit, ſine qua ille naſci non poterat. *Prop.* Effigies Matris divinæ per omnia ſæcula ſuperiora. 1. Effigies Marianæ pulcritudinis 2. benignitatis. 3. fortitudinis. Ubi occaſio ampliſſima ſe explicat Mariana decora ſub Hevæ & Rachelis, ſub Rebeccæ & Eſtheris, ſub Deboræ & Judithæ imaginibus, cæteriſque illuſtrium fœminarum figuris ex lege vetere repetendi.

§. XVI.

Specimen aliud e Psalterio.

AD ſacras orationes ſumme idoneum eſt Pſalterium, non tantum quia innumera ex eo teſtimonia ſuppetunt, confirmandæ, & exornandæ veritati aptiſſima; ſed etiam quia ipſum dicendi argumentum, ſeu concionis materia e Pſalmo quolibet ſumi utiliter, & eleganter poſſet. Speciminis loco ſit Pſalmus 92. ad mentem R. P. Thomæ le Blanc, qui analyſin cujuslibet Pſalmi ceu σκελετον lectori proponit. E dicto igitur Pſalmo 92. in feſtum Chriſti in Cœlum aſcendentis, vel Dominicam proximam, fieri poterit.

Pro-

Propoſitio. Propheta Chriſtum aſcendentem ſpectat & prædicat

1 Glorioſum in ſe	(1 ut triumphantem (2 ut fundatorem.
2 Mirabilem in Apoſtolis	(1 Provincias nunc (convertentibus. (2 Poſteritati in futurum conſulentibus.

Totum hunc ordinem ſervata ipſius verſiculi ſerie contexere licebit, ut in ſchemate R. P. le Blanc omnium oculis ſubjicitur. Si cui ad hunc ipſum modum alios quoque Pſalmos vertere placuerit, vel e ſolo Pſalterio annona in triennium ſuppetit, CL Pſalmis, quorum aliqui prælongi ſunt, & in duas conciones dividi poſſunt, in dies Dominicos trium annorum abunde ſufficientibus.

§. XVII.

AN SOLUS DAVID PSALMORUM OMNIUM AUCTOR SIT.

Coronidem huic diſſertationi imponat quæſtio celebris, & ad Poeſin hebraicam vel maxime pertinens, ſoluſne David Rex totius

Pſalterii auctor ſit, an alii quoque in ejuſdem libri & laudis partem veniant. Utrius ſententiæ patroni ſint potiores, longum foret hic diſputare, imo & invidioſum. Ratione autem ſi agendum eſt, vel potius quia agendum eſt, argumenta hæc proferuntur. Qui ſoli Davidi univerſum Pſalterii librum vendicant, his fundamentis nituntur,

I Certum eſt ex Act. cap 4. v. 25. & ad Hebr. 4. v. 7. Pſalmum ſecundum & nonageſimum quartum, hebr. 95., eſſe auctoris Davidis, etiamſi in hebraico nomen ejus in titulo non præferant: ergo & reliqui Pſalmi ejuſdem eſſe poſſunt, etſi nomen ejus in titulo non exprimatur. Sed argumentum hoc nequaquam efficit, quod ſolius Davidis Patroni quærunt. Nam primum, quod eſſe poteſt, non ideo ſemper eſt. Deinde multi ſunt Pſalmi, qui Davidis ne quidem poſſunt eſſe, cum non ſint ἀνεπίγραφοι, ſed aliorum auctorum nomina in titulis præſcripta habeant: de quo paulo poſt. Interim contrarium potius ex hac ratione elicitur. Quis enim Pſalmum 2. & 94. hebr. 95. tribuere Davidi auderet, niſi novum Teſtamentum eos Prophetæ Regio vindicaret? Ergo ubi novum Teſtamentum ſilet, hoc ipſo nullus nobis judicandi locus relictus eſt.

II. Georgius Heſerus inclytus Pſalmorum in-

interpres hoc argumento movetur, quod a ſe inventum maximi ipſe facit: ſi Chriſtus & Apoſtoli nullum alium auctorem Pſalmorum nominant præter Davidem, nullus alius fuit: atqui nullum alium præter Davidem nominatum legimus: itaque penes Davidem ſola Pſalterii gloria relinquenda eſt. Sed hæc argumentandi ratio ſi ſufficit, expungendi ſunt e canonicorum librorum catalogo omnes illi, quorum Chriſtus & Apoſtoli nominatim non meminere. Proinde divinæ Paginæ Sophonias, Baruch, & Abdias inter Prophetas, Eccleſiaſtes & Cantica inter Sapientiales; liber Judicum, Tobias, Eſther, Ruth, ac Judith inter Hiſtoricos adimendi forent. Quod cum nefas ſit cogitare, manifeſtum fit, certos quidem eſſe auctores, quos Chriſtus & Apoſtoli nominatim prodiderunt; non tamen ideo excludi eos, quos tacuerunt.

III. David 2. Samuelis 23. v. 1. dicitur *egregius Pſaltes Iſrael*, & 2. Paralip.7. v.6. narratur, cantata eſſe a Levitis carmina, *quæ fecit David*. Idemque repetitur 1. Eſdræ 3. v. 10., & 2. Eſdræ 12. v. 35. Equidem fuiſſe egregium Pſalten ſummopere & ego contendo; ſolum fuiſſe Pſalten, neque Samuelis libri, neque Paralipomena, aut Eſdras uſquam affirmant. Narrat & illud Scriptura de Davide, paſtori-

tiam feciſſe, & poſt fœtantes ingreſſum eſſe: num ideo ſolum fuiſſe Davidem dicemus, qui oves ad paſtum eduxerit, & fœtas ſecutus ſit?

IV. Concilium Carthaginenſe III., & Tridentinum Davidi totum Pſalterium tribuunt. Imo non tribuunt, ſed *Pſalterium Davidis* inſcribunt, in quo ne quis hallucinetur, & has duas inſcriptiones ejuſdem valoris eſſe putet, omnem dubitationem eximit Card. Sfortia Pallavicinus in hiſtoria Conc. Tridentini, quam ex ipſis actis primævis caſtelli S. Angeli auſpiciis Rom. Pontificum edidit. Is ergo l. 6. c. 14. n. 5. ita narrat: cum de decreto librorum Canonicorum ageretur, & multi Davidis Pſalterium ſcribi vellent, vicit tamen plerorumque Patrum ſententia, jubentium *Pſalterium Davidicum* appellari, ne quis in errorem induceretur, & definiri a Concilio crederet, ſolius Davidis omnes Pſalmos eſſe. Davidicum autem appellarunt, ut dignoſci liber poſſet, nomine ducto ab illo potiſſimum ſcriptore, cui Pſalmi quam plurimi deberentur.

Pro altera vero ſententia, quæ præter Davidem alios etiam auctores Pſalmorum ſtatuit, hæ rationes militant.

I. Hebræorum Doctorum conſenſus: quorum in hoc negotio auctoritas momenti maximi eſſe debet: imo qui ſoli hoc antiquitatis depo-

poſitum veluti per manus tradere, & ad nos uſque tranſmittere potuerunt. Suſpicioni tunc tantum patet Hebræorum narratio, cum res vel per ſe ipſam fabuloſa eſt, vel Hebræorum refert, aliquid in rem ſuam comminiſci, quorum tamen neutrum in præſenti locum habet.

II. Ideo Davidi Pſalmos multos tribuimus, quia ejus nomen in fronte inſcriptum gerunt: ob eandem rationem Pſalmos quoſdam Aſapho, Moyſi, Ethani Ezrahitæ, aliiſque aſſignare cogimur, utpotè quorum nomina in eorum veſtibulo leguntur. Refragantur quidam, tum latini ſermonis, tum etiam græci & hebraici ambiguitate decepti: cum enim legant in Vulgata *Pſalmus ipſi Aſaph* Pſal. 80. *Filiis Core*, Pſal. 83. 84. & aliis; & in græco articulus dativi τῷ, atque in hebraico particula לְ & לְ ante illorum nomina ponatur, de quibus hæc controverſia agitur: eos non auctores eorundem carminum, ſed Muſicos tantum eſſe putant, quibus cantandi hi Pſalmi a Davide ſint traditi. Verum ſi ita eſt, latino ſermone *ipſi David* ante Pſalmos *92. 93. 94. 95. 97. 98.* 100. 102. 103. 137. 144. *& huic David* ante *96.* legitur, & in græco dativi articulus τῷ ac in hebraico particula לְ præponuntur Davidis nomini: quo ipſo indicio plane convincimur, Caſum hunc dativum, ejuſque articulum græcum,

 mul-

Digitized by Google

multoque magis notam hebraicam , quippe quæ ſæpiſſime genitivi index eſt, in Pſalmorum titulis auctorem & Prophetam ſignificare, non meros cantores, & citharœdos. Quare merito colligit divus Hilarius prologo in Pſalmos: *Ex quo abſurdum eſt Pſalmos David cognominare, cum tot auctores eorum ipſis inſcriptionum titulis edantur*.

III. Nominatim de Aſapho divina hiſtoria narrat 2. Paralip. 29. v. 30. *Præcepitque Ezechias, & Principes Levitis, ut laudarent Dominum ſermonibus David & Aſaph videntis*. Hebraicus fons habet ואסף החוה conjunctis inter ſe Davidis & Aſaphi carminibus. Neque ſatis attente legerunt illi, qui Aſaphum duntaxat Prophetam eo ſenſu dictum volunt, quo Chonenias, & alii Muſici paſſim aliorum prophetias vel decantarent, vel inſtrumentis muſicis comitarentur; quod quam vere dicitur, tam male Aſapho applicatur: non enim is Propheta aut hebr. נביא ſed hoc ipſo loco latine *videns* & hebr. החוה appellatus eſt, veluti metuente hagiographo, ne verum Videntem, & a Deo afflatum Prophetam in muſicum, & alienæ prophetiæ Cantorem, increduli quidam poſteri transformarent.

IV. Pſalmo 71. hebr. 72. ſubjiciuntur verba hæc: כלו תפלות דוד בן ישי, quod latino more

more idem eſt, ac ſi dicatur: finis Pſalmorum Davidis. Sunt ergo præter Davidicos etiam alii Pſalmi, quos per hanc clauſulam ſeparare ab illis divinus Spiritus voluit, ne omnes Davidis eſſe crederentur. Quamvis enim poſt hos etiam Pſalmos non pauci Davidici hodie ſequantur, id tamen nihil obſtat quæſtioni præſenti, ſed indicio tantum eſt, ordinem eſſe turbatum, quacunque demum ratione id acciderit.

V. Antiquiſſima eſt Eccleſiæ regula, in Pſalmis tamdiu intelligi auctorem eundem, quamdiu novus in titulo non nominatur, ita ut ſequentes ad eum authorem ſint referendi, qui poſtremo loco indicatus eſt. Teſtis locupletiſſimus hujus conſuetudinis eſt D. Hieronymus Epiſt. 139., ubi cum de Moyſe dixiſſet, ejus plura eſſe in Pſalterio Carmina, hæc ſubjungit: *quod autem in pleriſque codicibus 98. habet titulum Pſalmus David, in hebraico non habetur, hanc habente Sacra Scriptura conſuetudinem, ut omnes Pſalmi, qui cujus ſint, titulum non habent, iis deputantur, quorum in prioribus Pſalmis nomina continentur*. Quæ regula unam tantum exceptionem habet, niſi aliunde argumentum evidens a conſuetudine hac diſcedere nos cogat: quemadmodum accidit in Pſalm. 94., qui cum ex S. Hieronymi regula Moyſi deberetur, ipſius

Digitized by Google

S. Scripturæ auctoritate ad Hebr. 4. v. 7. Davidi vendicatur.

VI. Si ſolus David Pſalmos omnes condidiſſet, tribuere ei oporteret notitiam eventuum plurimorum, qui pluribus poſt eum ſæculis contigerunt: imo totam fere ſuæ gentis hiſtoriam illi cognitam fuiſſe admittendum foret, cum nihil illuſtre aut perſpicuum ab ipſius Davidis ætate uſque ad templum ſecundum a Zorobabele ædificatum Hebræis acciderit, cujus mentio non alicubi in Pſalterio fiat. Sic autem miracula ſine omni neceſſitate multiplicantur, refragante Philoſophia & Theologia hodierna, quæ ad Deum nequaquam confugiunt, quamdiu natura ſibi ſufficit, ac humano more fieri omnia & explicari poſſunt.

Cum ergo argumenta pro ſolo Davide Pſalmorum omnium auctore parum aut nihil ponderis habeant; ea vero, quæ plures Pſalmorum ſcriptores fuiſſe oſtendunt, nihil difficultatis relinquant: ſtandum omnino eſſe ab iis partibus videtur, quæ cum Hieronymo aliiſque quam plurimis præter Davidem, Pſalmographos plures agnoſcunt. Et ſi ſubducere accurate calculos libet, Davidis ſunt Pſalmi 6. ultra 100.: reliqui 44. inter 7. Pſaltas alios ita dividuntur, ut ad Aſaphum 12., ad filios Core 11., ad Moyſen 9., unus ad Ethanem, 5. ad

Sa-

Digitized by Google

Salomonem, 6. conjunctim ad Aggæum & Zachariam pertineant. Sic ergo & privatim ſentiamus, & in ſuggeſtu publico a falſitate caveamus; *ſciamus quoque errare eos, qui omnes Pſalmos David arbitrantur*. S. Hieronym. Epiſtol. 139.

Sed ut aliquando finis ſit, & dicta omnia in pugnum contrahantur, illud certum eſt, auctores omnes divinorum Carminum, ſive intra, ſive extra Pſalterium, *Nobilitatem Poeſeos Hebraicæ* præclare oſtendere: cum ut Parte I. demonſtratum eſt, & ſtyli ornamentis excellant, & locos longiores habeant illuſtriſſimos, & ſummos quoſque profanorum Poetarum longo intervallo poſt ſe relinquant. *Natura* vero illorum carminum ea eſt, quemadmodum Parte II. diſputavimus, ut ab auctoribus quidem certa metra ſint uſurpata, eadem tamen non ſuperſint; etſi in illorum locum, ſiquis ita velit, ſubſtitui metra alia poſſint, ſive Dithyrambus Pindaricus placeat, ſive Jambo-chorei præferantur. Denique *Uſus* præſtantiſſimæ hujus Poeſeos, quem Parte III. tractavimus, cum privatus eſſe cujuſque poteſt, & in meditatione ad intelligendum, & in precibus ad pſallendum & mente; tum etiam publicus, cum prodeundum in concionem eſt, & populus chriſtianus vero ac ſolido verbo Dei paſcendus:

Digitized by Google

dus: in utroque autem, ut erit quiſque a ſanctis, primæviſque linguis inſtructiſſimus, ita a periculo ſe alioſque decipiendi longiſſime aberit, atque efficiet, ut impleatur aureum illud dictum:

בכל נאהב יהוה
אחרי בן עמית׃

SUMMARIUM DISSERTATIONIS SIMULQUE THESES,

Quæ diſputationi proponuntur.

EX PARTE PRIMA.

1 IN Libris Divinis ſcribendi genus eſt non modo nobiliſſimum, ſed etiam ornatiſſimum, & omnes elegantias complexum, quæcunque in linguas orientales cadunt. ʃ. I.

2 Idque multo maxime in Libris Poeticis, nimirum Pſalterio, Jobo, Threnis, & carminibus omnibus. ʃ. I.

3 Omnia etiam Poeſeos genera in Divinis Voluminibus ſuppetunt, ut nequidem Dramaticum prætermiſſum ſit, cujus ſpecimen παθητικωτατον nobis præbet שיר השירים Salomonis. ʃ. I.

4 Imo & Idyllia ſeu Eclogas in Prophetia עמוס paſtoris Thecuani habemus. ʃ. I.

5 Atque adeo Epigrammaticum in משלי שלמה proprie dictis. ʃ. I.

6 Judicium de Nobilitate Poeſeos Biblicæ e tribus potiſſimum capitibus formari poteſt; e vocabulis ac ſententiis ſingulis; e loco aliquo longiore; ex eorum comparatione cum optimis profanorum. ʃ. II.

7. Vo-

Digitized by Google

7. Vocabulorum & ſententiarum totam vim ac elegantiam e ſola Vulgata perſpicere nemo poteſt. §. III.
8 Itaque de Scripturæ ſtylo judicare perfecte non poterit, cui linguæ primævæ perſpectæ non ſunt. §. III.
9 Sic ex hebraico demum intelligitur, quid promittatur Pſalmo 19. verſu ult. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; nimirum non modo hominem cœleſti gloria ſatiatum iri, ſed ſimilem Deo fore, ut prima Joannis 3. verſ. 2. dicitur. §. III.
10 Vere ſublime eſt, *Ipſe dixit, & facta ſunt*. Pſal. 148. v. 5.; quemadmodum & illud Geneſ. 1. v. 3.: *Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux*, vere ſublime eſſe cum Dionyſio Longino contra Danielem Huetium, alioſque RR. defendimus. §. III.
11 *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, Pſal. 68. v. 32., non modo elegantiam hebraici fontis non adæquat, ſed nequidem ſenſum efficit, qui ſine commentario intelligi poſſit. §. III.
12 Hebraicæ figuræ ac tropi a noſtro Interprete ſæpiſſime non ſunt expreſſæ. E. g. cum pro מגן apud nos ponitur adjutorium, aut protector. §. III.
13 Similes metaphoræ tum militares, tum aliæ, quas Vulgata non repræſentat, complures enumerantur. §. III.

Digitized by Google

14 *Menſurabiles poſuiſti dies meos*, Pſal. 39. v. 6. a recentiſſimo Aſceta male exponitur, Deum a nobis in judicio rationes ſingulorum dierum repetiturum. §. III.

15 Viciſſim in linguis primævis clarius ponitur aliquando vocabulum proprium, quam in latina tranſlatum: ſic ubi nos habemus *ſortes meæ* Pſal. 31. v. 16. in hebraicis, chaldaicis, arabicis, & æthiopicis, pro ſortibus leguntur *tempora*. §. III.

16 Mentiri Pſal. 17. v. 46. idem eſt ac *ſervire*. At Pſal. 81. v. 16. *inimici Domini mentiti ſunt ei*, ſenſu proprio dicitur. §. III.

17 Pſal. 51. v. 6. *Ut vincas cum judicaris*, ſine orientalium linguarum ope dignoſci non poteſt, an activum intelligendum ſit, an paſſivum. §. III.

18 Pſal. 59. v. 12. ſolius latinitatis peritus nunquam determinabit, cujus oblivionem David recuſet. §. III.

19 Pſal. 42. v. 2. inter latina exemplaria dijudicare debent linguæ primævæ, an *Deum fortem vivum*, an *fontem vivum* legendum ſit. §. III.

20 Ibidem fabuloſa eſt eorum interpretatio, qui cervum æſtuare ſiti dicunt, poſtquam ſerpentes devoraverit. §. III.

21 *Specie tua*, *&* *pulchritudine tua* in Epitha-

Digitized by Google

lamio non pertinet ad ſponſum, ſed ad gladium, ut ex hebraico perſpicuum fit. §. III.

22 Ex eodem Epithalamio infirmum argumentum pro Chriſti divinitate petunt illi Theologi, qui legunt, *unxit te, o Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: repugnant enim linguæ primævæ. §. III.

23 *Vadam ad portas inferi* in Cantico Ezechiæ a piiſſimo Aſceta male ad meditationem pœnæ æternæ trahitur. §. III.

24 *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt*, Pſal. 15. v. 4. non de malis & ærumnis a Propheta dictum eſt, ſed de idolis. §. III.

25 Forma Piel in Vulgata perſæpe non eſt expreſſa, ac proinde vis, & ἐνεργεια ſententiæ latinis lectoribus non apparet. §. III.

26 Singularem notam meretur verbum דבר, cujus intentio pielica immerito hactenus a pleriſque neglecta eſt. §. III.

27 Anna in ſuo Cantico nequaquam de humanis ſcientiis cecinit: *Deus ſcientarium Dominus eſt*. §. III.

28 Neque humana conſilia, ſed divina intellexit Anna, cum addidit: *Et ipſi præparantur cogitationes*.

29 Male a quibuſdam eodem loco ex hebraico ſenſus negativus exſculptus eſt. §. III.

30 Sa-

Digitized by Google

30 Salomonis Pſalmos a Cerdano latine verſos, etſi hebraicum ſtylum ubique ſapiunt, nihilominus inter libros apocryphos collocari par eſt. §. III.

31 In illuſtriſſimo elogio vocis divinæ Pſal. 29. ſenſus litteralis ex proprietate linguæ hebraicæ non eſt de Deo loquente, ſed de tonitru ac fulmine. §. IV.

32 Eodem loco interpres noſter non commiſit errorem grammaticum, cum ſcripſit, *vox Domini præparantis cervos* genere maſculino §. IV.

33 In hypotypoſi ſenectutis Eccleſiaſtæ ultimo v. 2. voces illas *ſol & lumen* ſola figura hebraica hendiadys recte explicat. §. V.

34 Eadem hendiadys in principio Bereſchith admittenda eſt לאתת ולמועדים *ibid.*

35 Imo & in N. Teſtamento Matt. 24. v. 31. locum de Angelis ante judicium extremum venturis *cum tuba & voce magna* hendiadys recte interpretatur, præſertim ſi conferatur ſyriacum עם שיפורא רבא *ibid.*

36 In deſcriptione equi celebratiſſima apud Jobum c. 39. v. 24. *ſorbet terram* non ſignificat equum veſci gleba aut pulvere. §. V.

37 Sermones amicorum Jobi, etſi eandem ſtyli ſublimitatem habent, quam cæteræ libri partes, tamen de fide non ſunt; ne illa quidem Eli-

Digitized by Google

Eliphazi ſententia Job. 5. v. 13., quam D. Paulus adoptavit 1. Cor. 3. v. 19. ſ. V.

38 Canticum Deboræ oſtendit falli eos, qui Siſaram Jahelis clavo terræ affixum putant. ſ. V.

39 Filii Titanis fabuloſi non obſtant ſanctitati Judithæ in ejus Carmine, & ejus characteri non magis adverſantur, quam veritatem læ-dunt ea, quæ ad Holofernem, ejuſque milites loquitur: nullum enim in illis omnibus mendacium reperiri poteſt. ſ. V.

40 Παραλλήλα Poetarum græcorum oſtendunt cedere illos hebraicis. ſ. VI.

41 Romanis quoque Poetis iidem palmam præripiunt. ſ. VII.

42 *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, Pſal. 18. v. 6. hypallage eſt, per ſolam latinitatem nunquam ſatis deprehendenda. ſ. VII.

43 Quoties *flumen* intra Judææ limites nominatur, per hebraiſmum Euphrates intelligendus eſt. ſ. VII.

44 *Filium hominis* Pſal. 79. v. 18. Meſſiam intelligimus, qui hoc ipſo nomine ſe in Evangelio ſæpiſſime appellat; eo tamen Matrem Virginem indicari omnino negamus. ſ. VII.

EX

45 Certum eſt, Joſephum & Philonem Hebræum, Origenem quoque, & Euſebium, metra in S. Bibliorum carminibus agnoviſſe. ſ. VIII.

46 Multo clariſſimum vero id eſt de s. Hieronymo, qui pluribus ſuorum operum locis id diſerte affirmat, nec metra tantum deſignat ac notat, ſed ipſos etiam pedes ſingillatim appellat, monetque adhiberi alios pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem temporum. ſ. VIII.

47 Quapropter reverentia tantis viris debita non videtur permittere, ut metra in hebraico negentur. ſ. VIII.

48 Neque argumentis ampliſſimi Aug. Calmeti tantum ponderis ineſt, ut auctoritatem tam gravem elidant. ſ. VIII.

49 Contra Juſtum vero Scaligerum, qui ipſam ſermonis hebraici naturam repugnare omni metro ait, contrarium evidenter demonſtrari poteſt. ſ. VIII.

50 Verba illa Pſal. 144. *Fidelis* &c. etſi in hebraico deſint, recte tamen in Vulgata legi, non ſolum ex græcis, arabicis, & æthiopicis, ſed etiam ex ipſo hebraico manifeſte oſtendi poteſt. ſ. VIII. Viciſſim redundant

verſus 3. in Pſal. 13., nec tamen ideo reprehendi Vulgata poteſt. §. VIII.

51 Summis quibuſque Poetis omnium gentium injuriam inferunt, qui dicunt omnia affectatione & ampullis plena eſſe, quæ pedibus ligata ſunt. §. VIII.

52 Genera illa metrorum, quæ veteres in Jobo, Threnis, aliiſque partibus Scripturæ commemorant, hodie in iiſdem non ſuperſunt, etiamſi præter Schevà quinque puncta brevia recipiantur. §. IX.

53 Multo minus, ſi puncta 10. longa eſſe affirmentur. §. IX.

54 E græcis, latiniſque metris nullum genus Hebræo aptius, maxime in hypotheſi punctorum 10. longorum, quam ſpondaicum: quod tamen enodandæ huic difficultati non eſt idoneum. §. IX.

55 Qui pronunciant Gilead, Midian, Simſon, &c. cum Hebræis non conveniunt melius, quam qui Galaad, Madian, Samſon &c. dicunt: imo hæc noſtra cum hebraico fonte multo melius conſentiunt, quam illa. §. IX.

56 Vatabli induſtria, Victorii affectatio, Meibomii gloriatio, in hoc negotio poſteritatem non juverunt. §. X.

57 Herberti exempla non conficiunt id, quod affirmat. §. X.

58 Sy-

Digitized by Google

58 Syſtema Gomari ex omni parte ruinoſum, & nullius firmitatis eſt. §. X.

59 Nihilo melius cenſendum eſt Syſtema Rhythmicum, ex Bibliotheca Gallica Univerſali petitum. §. X.

60 Duæ tamen viæ ſunt aliæ, per quas ad metra perveniri in Carminibus Scripturæ hebr. poſſit; & prima quidem per odas Pindaricas, vel ſiquis ita nominare malit, per Dithyrambum perpetuum. §. X.

61 Altera vero per Jambochoreos continuos, longiores, aut breviores. §. X.

62 Uterque hic modus longe plus probat, quam quiſquam velit. §. X.

EX PARTE TERTIA.

63 Prima cura habenda eſt ſenſus litteralis, præſertim in Poeticis, in quibus ille difficilius deprehenditur. §. XI.

64 Sæpe diverſi ſenſus unius loci re ipſa non differunt, ut נשקו בר Pſalm. 2. v. 12. §. XI.

65 Per *αναβάϑωον* facile inter ſe conciliantur expoſitiones, quæ in ſpeciem longe inter ſe diſcrepant. §. XI.

66 Qui nulla fontium analyſi valent, & ſolis interpretibus fidunt, de vero ſcripturæ ſenſu raro ſecuri eſſe queunt. §. XI.

67 Nulla in Scripturis eſt ταυτολογία. §. XII.

68 Neque in Theographorum carminibus admittenda eſt illa ταυτοστιχία, ad quam multi confugiunt. §. XII.

69 Figura repetitionis nullo modo peculiaris eſt Hebræis in carminum hemiſtichiis, ſed communis omnium gentium temporumque Poetis. §. XII.

70 *Scutum & Clypeus* apud Jeremiam, *gaudium & lætitia* pœnitentis Davidis, *Sacrificium & oblatio*, *audi & inclina aurem tuam*, nequaquam ſunt Tautologiæ. §. XII.

71 In toto Pſ. 119., in quo idem perpetuo ſenſus videtur regnare, nullum eſt hemiſtichium ullius verſiculi, quod mera ſui comparis repetitio ſit. §. XII.

72 Merito D.Hieronymus ſenſum commaticum acerrime reprehendit. §. XIII.

73 Senſum *vere accommodatitium* exempla ſummorum virorum, & ratio ipſa confirmant, fruſtra abnuntiantibus criticis. §. XIII.

74 At ſenſum *mere accommodatitium*, qui non litterali, ſed ſolo excogitantis arbitrio nititur, omnino rejicimus. §. XIII.

75 Talia ſunt: *Trium tibi datur optio*, de eligendo e tribus Antiſtite; *Domus diſcalceati*, de S. Joanne a Cruce: *Quartus frater*, de Principe Regio, quarto loco in lucem edito;

Digitized by Google

to ; *dirumpamus vincula eorum*, de mundi vanitatibus, & honoribus. ſ. XIII.

76 Poteſt unus ſcripturæ locus continere ſenſus duos æque primarios, ſeu æque a Spiritu S. intentos; imo etiam tres, ut in illo היום ילדתיך Pſal. 2. v. 7. ſ. XII.

77 Uſus Poeſeos Hebraicæ privatus, tum in Carminum ſacrorum intelligentia, tum in precibus, ex obſcuris & aridis facit lumine & ſucco plena. ſ. XIV.

78 Canticum Habacuc intelligere, & cum ſolatio ſolido recitare nequit lector tantum latinus, qui e. g. neſcit, quid ſit: *audivi auditionem*, *cornua in manibus*, *pelles Madian*, *fluvios ſcindes terræ*, *populum accinctum noſtrum*, aliaque. ſ. XIV.

79 Recte in Cantico Habacuc Vulgata omiſit illud, *in medio duorum animalium cognoſceris.* ſ. XIV.

80 In eodem Cantico latinus interpres elegantiam רשף aſſecutus non eſt. ſ. XIV.

81 *Caput de domo impii* Hab. 3. v. 13. non eſt Nabuchodonoſor, ſed Pharao; neque *Chriſtus* ibidem eſt Sedecias, ac ne Cyrus quidem. ſ. XIV.

82 *Mentietur opus olivæ* idem eſt loquendi modus, qui Gen. 38. v. 5., ubi בכזיב bene explicatur a Vulgata *parere ultra ceſſavit*, quin no-

nomen loci comminiſci opus ſit. §. XIV.

83 צפנת פענח Gen. 41. v. 45., ſeu ϯοντομφανηχ, ut Septuaginta ſcribunt, eſt nomen Copticum, fruſtra negante Renaudoto. §. XIV.

84 Neque copticum ϯονθομφανηχ, neque Hebraicum צפנת פענח ſignificat *Salvatorem mundi*: non tamen ideo errat Vulgata, dum *Salvatorem mundi* vertit. §. XIV.

85 Virgo Mater Beatiſſima Canticum *Magnificat* non hebraice, ſed Syriace, pronunciavit. §. XV.

86 *Anima mea & Spiritus meus* non ſignificant partem animi naturalem, & ſupernaturalem, ſed ſimpliciter more Syriaco & Hebraico idem ſunt ac *ego*. §. XV.

87 *Humilitatem ancillæ* in Cantico *Magnificat* non virtutem, ſed tenuitatem & abjectionem intelligi par eſt. §. XV.

88 *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*, male interpretatur ille, qui mentem ſeu conſilium cordis divini intelligit: etſi enim eo trahi latinum pronomen *ſui* poteſt, in fonte tamen ſyriaco & græco liquidum eſt contrarium. §. XV.

89 Quamvis certum ſit, aliquos Pſalmos eſſe Davidis, qui ejus nomen in titulo non præferunt: non ideo tamen omnes Pſalmi eum auctorem habent. §. XVII.

90 Ar-

Digitized by Google

90 Argumentum a ſilentio Chriſti & Apoſtolorum petitum ab Heſero non eſt efficax. §. XVII.

91 Tridentinum adeo non patrocinatur ſoli Davidi Pſalmorum omnium Auctori, ut potius contrariæ ſententiæ faveat. §. XVII.

92 Longe probabilius cum Hebræis dicitur, alios quoque præter Davidem eſſe Pſalmorum auctores. §. XVII.

93 Aſaphum fuiſſe duntaxat Muſicum, dici non poteſt: cum verus Propheta, & Pſalmorum plurium auctor fuerit. §. XVII.

94 כלו תפלות דוד בן ישי eſt vera clauſula, & finis Pſalmorum Davidis. §. XVII.

95 Eodem jure, quo לדוד auctorem indicat, etiam לאסף & ſimiles tituli idem ſignificant. §. XVII.

96 Antiquiſſima Eccleſiæ regula eſt, Pſalmorum auctorem intelligi eundem, quamdiu Epigraphe ſequentium auctorem novum non nominat. §. XVII.

97 Ampliſſimi Calmeti exceptio ab Hieronymi regula neceſſario admittenda eſt, ſed ſemel tantum in toto Pſalterio locum habet. §. XVII.

98 Prophetiæ donum homini conceſſum nequaquam ſe extendit ad omnia tempora, & omnes eventus futuros. §. XVII.

99 Davidem in libro Pſalterii auctorem habent Pſalmi tantum 106. ſ. XVII.

100 Reliqui 44. ab Aſapho, Moyſe, Ethane, Salomone, Filiis Core, Aggæo & Zacharia ſcripti ſunt, prout cuique in Pſalmorum titulis adſcribuntur. ſ. XVII.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 76.	בד	בר
110. lin. 6.	Ad	Ab

ac ubi מ loco ם ac ב loco כ poſitum eſt.

FINIS

VITTORIO EMANUELE

MAG 2017582

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google